DIATRIBÆ

THOMÆ WILLISII

Doct. Med. & Profess. *Oxon.*

DE FEBRIBUS

VINDICATIO

ADVERSUS

Edmundum De Meara Ormonien-
fem Hibernum M. D.

41 K. 18. 24

Authore *Richardo Lower*
Medico Oxonienſi.

LONDINI,

Apud *Jo. Martyn* & *Ja. Alleſtry*,
ſub Signo Campanæ in Cœme-
terio D. *Pauli.* 1665.

IMPRIMATUR,

Ex Æd. Lond. Mart. 22. 1664.

Tho. Grigg, *R. P. D.* Humfr. *Epiſc. Lond.* *à Sac. Dom.*

DIATRIBÆ

THOMÆ WILLISII

Doct. Med. & Profess. *Oxon.*

DE FEBRIBUS

VINDICATIO

ADVERSUS

Edmundum De Meara Ormonien-
sem Hibernum M. D.

41 K. 18.24

Authore *Richardo Lower*
Medico Oxonienſi.

LONDINI,

Apud *Jo. Martyn* & *Ja. Alleſtry*,
ſub Signo Campanæ in Cœme-
terio D. *Pauli.* 1665.



252:11

Honoratiſſimo Domino

D^no^ ROBERTO BOYLE

Armigero.

COntroverſiam aggreſſurus (Vir Illuſtriſſime) in quâ non ſolùm *Williſii* ſed ipſius etiam Philoſophiæ nomen laborat, non potui aut æquiorem cauſæ Arbitrum, aut digniorem operis Patronum eligere. Tu enim cum inter eruditos tantum ſcientiâ præſtas quantùm ſupra hominum vulgus dignitate excellis, nemo eſt qui meliùs poterit ſcriptis noſtris & teſtimonio fidem, & nominis ſplendore authoritatem conciliare.

Satis ſcio parùm Tibi placere contentioſum hoc forum, nec Tibi ignotum arbitror quàm injucunda nobis quoque Provincia contigit, quantumq; etiam animus noſter à jurgiis litibuſq; abhorreat; ſed non erant negligenda convitia; quorum impunitate malum ſerpere, frangi induſtria, & ipſa veritas dehoneſtari poterat. Neq; enim laceſſimus nos, ſed reſpondemus, & retortis ſolummodò *Mearæ* telis experimenta defendimus, eademq; ſtudia, in quibus Ipſe quotidiè verſaris; quæ non tantum nobilitate ornas, ſed & ſumptibus promoves, operibus exauges; quæ deniq;

niq; exemplo tuo & inventis crevere.

Itaq; aliorum cenſuras non morabor, parùm ſollicitus quid contra fremant illatrentq; Tricones & notionum fabri, occultæ Philoſophiæ Profeſſores, quibus Magiſtrum ſequi, eſt ſapere; qui in dogmata non ratiociniis ſed ſacramento adiguntur. Tu unus mihi pro Theatro aderis, omnibus Orcheſtræ cuneis, imo univerſis Tribuum omnium & Centurionum ſuffragiis potior: liberam enim & ſui juris Philoſophiam amplector, ſoliq; veritati & proinde Tibi ejuſdem Sacratiſſimo Antiſtiti & Vindici Acerrimo devinctas

trado manus, meq; palàm & ex animo profiteor, Tui

Servum humillimum,
Tibi Addictissimum

RICH. LOWER.

Lectori

LECTORI
PRÆFATIO.

QVod Clariſſimus Verulamius *pro certiſſimo Scientiarum ſufflamine & impedimento habuit, experientiâ quotidiè comprobatur; Nempe quoſdam Antiquitatis ſtudio & ſuperſtitioſâ Authoritatis reverentiâ in tranſverſum actos, à contemplatione naturæ & diligenti ejusdem indagine prorſus ceſſare; Arteſq; olim receptas inſanis pretiis æſtimantes nihil amplius quærere, ſed modeſtiam inertiæ prætexentes, magnâ cum pompâ profiteri*, dies edocere, apud Grandævos eſſe ſapientiam, nihilq; nunc inveniri poſſe quo mundus tam diu caruerit; *& proinde nova omnia contemnunt, deſpuunt & irrident, imò tanquam Portenta horrent & averſantur.*

Quis enim Præclarus Author novis

vis experimentis aut feliciori aliquo invento Philoſophiam auxit & illuſtravit, quin Cynicus aliquis de veteri Barbatorum grege, errore animi, aut invidiâ excitatus mox contrà illatret, & rixando ſe opponat; adeo ut cum gradum promovere, & ulterius in naturæ receſſus penetrare quis perrexerit, ſtatim vel à latere aut à tergo laceſſitus pedem ſiſtere cogatur, ut periclitanti à morſibus calci, poplitibuſq; proſpiciat.

Quâ in ſorte cum ob ſumma in rem literariam merita verſetur Clariſſimus Williſius, *utpote qui indignis prorſus modis à Doctore quodam* Meara *tractatus peſſimeq; habitus ſit; viſum eſt mihi (licet is ſit* Williſius *qui defenſore aut vindice minimè indigeat) ipſum ſublimioribus curis natum à faſtidio hoc & frigidiſſimâ moleſtiâ quà datur liberare.*

Et quidem mirari ſatis nequeo quæ furiæ Mearam *incitaverint, nec verbo nec injuriâ læſum, ut virum*

rum pari ſcriptorum morumq; candore inſignem, haud ſecus ac publicum humani generis hoſtem confictis tot ubiq; mendaciis & opprobriis conſectaretur: Niſi hoc tamen Williſio *& expectandum, & quodammodò ferendum ſit in moroſo & iracundo homine; qui ſummos undiquaq; viros pari ludibrio & contumeliâ inſequitur.* Carteſium *enim* fœminis Aulicis & ingeniis aliorum minus ſolidis aliquam Eruditionis umbram venditâſſe. *Harveium* quædam impiè, alia ridiculè & abſurdè ſcripſiſſe. *Gliſſonium* ad Categorias & prædicabilia iterum eſſe relegandum pronunciat.

p. 97. p. 54. p. 55. p. 87.

Sed videamus interim quibus præſidiis fretus proterviam hanc tumidumq; faſtum induit crudus ille & vultuoſus ſenex; ut non Williſium *modò ſed ingentia iſta famæ nomina, alioſq; Clariſſimos & Doctiſſimos viros tam facile habeat & pronum contemnere.*

Breviter quod res eſt dicam; ab arte

arte chymicâ tam longè abeſt, ut extorrem crederes, cui aquâ & igne interdiceretur; quiq; nullam ſciret mineram, illâ exceptâ, quæ in venâ portâ *reſidens febriles excitare flammas abſurdo prorſus commento dicitur.*

p. 78. p. 74. p. 113. *In Anatomicis eadem peritia; vaſorum enim* Pecquetianorum, *aut cujuſquam ferè alterius partis uſum non agnoſcit.* Circulationem ſanguinis *interdum negat,* p. 105. p. 75. *modò in dubium vocat, mox ita explicat, ut planè conſtet eum ipſum non omnino intelligere.*

In Philoſophiâ pares omnino exhibet progreſſus; illic enim nodos omnes, unâ eâq; breviſſimâ operâ, formæ qualitatum *facultatum vel* Antiperiſtaſeos *ſolâ mentione ſolvit atq; diſcutit: ſi quid ultra quæras moleſtus nimiùm & fruſtra importunus videbere.*

Deniq; quantùm in praxi medicâ profecerit, ex adjiciali iſtâ cœnâ, quam Animadverſionibus ſuis appoſuit, ſatis ſuperq; datur intelligere.

Ubi,

Vbi, ne vacuæ omninò hiarent paginæ, Hiſtorias aliquot Medicas, *ut ait*, rariores *protulit*; *verùm nullatenùs magis admirandas, quàm propter phænomenon ſolutiones, quas ille, nondum intellectâ ſanguinis circulatione, ferè tantùm à vaporibus deducit.*

Sed de iſtis omnibus penes æquum Lectorem eſto Judicium: Neq; enim mihi expectare fas eſt Mearam *Erroribus uſq; adeò imbutum & innutritum, ut ipſa nunc demum deliria & tenebras amare cœperit, aut aliorum oculis eſſe creditura, aut uſura ſuis*; *Ne fortè & quæ olim didicit, jam tandem dediſcere videatur: quinimo ut paſſim dicitur,* νεκρὸν ἰατρεύειν καὶ γέροντα νεθετεῖν ταυτόν ἐστιν.

Cum

Cum D. Edmundi Mearæ *Præfationem & Epilogum, quibus in nova medicinæ inventa tam protervè invehitur, Ipſius Patris verba ſatis aptè redarguant, ea hic ſubjicere placuit, ut ſciat Lector, dum* Hippocratem *ſolum uſq; adeo ſuſpicit, & tanquam Patrem veneratur, quantò rectiùs feciſſet, ſi conſuluiſſet ſuum: Miror profectò quâ fronte quiſquam experientiæ (Scientiæ omnis & Cognitionis inventrici) repugnare præſumat, niſi pro ratione ſufficiat multos & pudere & pigere quidquam de novo admittere, quod confirmatæ eorum opinioni adverſetur, à quâ ne latum quidem unguem recedere ſuſtinent, ne priùs non rectè ſapuiſſe viaeantur: multos tantâ cum fatuitate, ne dicam Idololatria,* Hippocratem, Galenum, & Ariſtotelem *venerari videas ut quicquam ab illis non dictum, non dicendum; quiquid ab illis incognitum, non cognoſcendum putent. Sed quàm longè decipiantur ex eo conſtat, quod ipſe* Galenus Hippocratem

&

& Ariſtotelem *multis in locis re-*
darguat: Quodq; artium ſingula-
rum (Medicinæ maximè) ambitus
ita ſit infinitus, ut nemo à mundi ori-
gine ad hunc uſq; diem omnia quæ
in arte ullâ cognitu ſunt neceſſaria,
perfectè & uſquequaq; cognoverit.
Nulla præteriit poſt Hippocratem
mundi ætas, nullum luſtrum, nullus
ferè annus, qui nova experimenta
therapeuticæ inſervientia non pro-
tulit; quorum quamplurima à mu-
lierculis & Idiotis caſu & fortuitò
fuerunt inventa. Quid igitur mi-
rum ingenioſos Medicos & Philoſo-
phos, ratione & experientia duci-
bus, antiquorum monumenta multis
ditâſſe documentis, multis adauxiſſe
incrementis? Equidem ſi Hippo-
cratis, Galeni, Ariſtotelis *manes*
corporibus quæ olim induti erant,
reunirentur, & in terras revo-
carentur, animo obſtupeſcerent &
magnopere geſtirent artem medi-
cam tot hodie ornamentis illuſtra-
tam conſpicere, tot novis inven-
tis ditatam, tot mirificis ope-

rati-

‹ *tionibus locupletatam, quæ eorum*
‹ *temporibus & multis post sæcu-*
‹ *lis in* Cimmeriis *erant tenebris se-*
‹ *pulta.*

Dermutius de *Meara* Lib. de Morb. Hæreditar. p. 276, 277.

Pyre-

Pyretologiæ Williſianæ, &c. VINDICATIO.

CAPUT I.

Synopſin Pyretologiæ Williſianæ, *non niſi imperfectam, exhibet* Meara, *idque ſubdolè in ſuam rem.*

SI de *Williſiana Febrium Doctrinâ*, quæ ſentiret *Meara*, ea candidè, & ingenuè protuliſſet, cum liberum ſit cuique ſuo modo ſapere; neque erat cur quiſquam illi ſuccenſeret, neque in aſſerendâ, quam ſuſcepit, ſententiâ minus effeciſſet: At cùm tanto animi impetu, & ardore, eâ linguæ impotentiâ negotium hoc aggreſſus ſit, nimis patet eum invidiæ potiùs, & ſuo maledicendi genio litâſſe, quam veritati, aut cauſæ ſtuduiſſe. In ipſo enim operis limine, quàm temerè pronunciat *Pyretologiam Williſianam numeroſis monſtroſarum opinionum*

portentis refertam? Séque id scribere, nempè in commodum humani generis, nè *speculationes inanes in medicinæ Praxin traditæ, periculosam errorum catenam, in salutis humanæ pernicie desituram, à tergo trahant.* Ita non vafrè minùs, quam malitiosè, doctrinæ, quam explodere satagit, pellem ursinam induit, & dein canibus lacerandam objicit, in quâ tamen (si benè auguror) & quod latratus eorum spernet, & dentes fatigabit, inveniet. Poterat quidem *Meara* (si quid tamèn ingenuè posset) advertere *Doctissimum Willisium*, quicquid hîc objicitur, præoccupasse in Præfatione suâ ad tractatum de Febribus, ubi satis aperte declarat praxin medicam à doctrinâ suâ parùm, aut nihil immutari, eò quòd Remedia ab experientiâ comprobata (fuere autem ab initio ferè omnia Empirica) eadem manere debeant, ita tamen ut morborum causis, meliùs aliquandò perspectis, certiori saltem

tèm methodo ad curationem procedatur.

Verùm utcunque res fuerit, nova hæc febrium doctrina penitùs refutanda eſt, vel eâ potiſſimùm ratione, quòd quorundam phænomenωv, relictis veterum placitis, ſolutiones inanes rejiciat, neq; ad vulgaria ignorantiæ ſubterfugia ſe, cum Ormonenſi Medico, ſimùl recipiat. Itaque hoc penſum, ut *Meara* feliciùs exequatur, totius materiæ Synopſin tradere, ſive monſtrum à ſe debellandum, delineare aggreſſus; revera quiddam monſtroſum, ſed tale ab ipſo factum, imprimis exhibet: Perindè ac ſi cum larvâ luctaturus, ipſe nudum ſibi Sceleton compararet, quod nec carne obductum, nec ligamentis, aut articulis connexum, & malè cohæreat, & facilè dejiciatur. Nam doctrinæ *Williſianæ* capitibus præcipuis, ſaltem quæ decus, & probationem rebus aſtruerent, prudenter omiſſis, ea tantùm quæ fa-

cilius refelli poſſe videbantur, in medium protulit; mòx ubi in pauciora quædam Theoremata, haud viceſimam totius materiæ partem, argumenta dicam, an convitia quædam ſtrinxerit, tanquam de bellua devicta, ſeriò triumphat, & pulchrum canit ſibi Epinikion: quàm immerito autem ex ſequentibus patebit.

CAP. II.

Febrem rectè à Williſio *deſcribi oſtenditur, contra* Mearam.

AGedum verò, hìc incipit Vir Egregius Argumentorum tela in *Williſium* contorquere, & primò ut oſtendat quid in Logicâ poſſit, quam ubique crepat ſenex bonæ ſpei, arietat in febris deſcriptionem, ab eo poſitam; eamque

eamque calumniatur, quia non eſt *definitio perfecta, conſtans ex Genere, & Differentia; ubi loco generis ſubjectum, & cauſa efficiens, atque loco differentiæ Cauſa formalis poni debuerant.* Quid ni æquo jure poterit & Anſerem culpare, quia Cygnus non factus ſit? quippe *Williſius* ſe febrem deſcribere tantùm profitetur: forſan quia putavit rei, cujus natura admodum lata, & diffuſa eſt, quæque ſpecies ſub ſe multiplices, & difformes continet, definitionem exactam vix quadrare. Attamen quid ſi dicamus, vel invitâ *Mearæ* Dialecticâ, *febrem* hic *rectè definiri*, atque *ſanguinem* eſſe *ſubjectum*, ejuſque *motum inordinatum*, & *effervescentiam* eſſe *febris* cauſas *formalem*, & *efficientem*? Profectò, Argumenta quæ *Meara* producit, hanc aſſertionem minimè convellunt: Nam primò ſatìs prolixâ argumentatione (quam quidem ille, ne ignorent poſteri, *quantum verſatus ſit in bonorum*

Authorum monumentis, ex *Sennerto*. lib. *de Febribus*. cap. 1. ſuffuratus eſt) evincere nititur, quod *calidi innati mala temperies, ſit febris cauſa tum formalis, tum efficiens*; cumque calidum innatum in partibus ſolidis conſtituerat, infert ipſe, *febris eſſentiam, non in ſanguinis*, ſed in *partium dyſcraſia conſiſtere*, p. 14. Quam ſubtiliter, & acute hæc! Ergo ſecundum Te omnis febris erit Hectica; nempe ſi omnis ſubjiciatur in ſolidis partibus, nulla erit in ſanguine: nam diſcrimen inter febrem Hecticam, & Synocham, vel *Galeno*, & priſcis medicis (quos ita revereris) judicibus, ſtatuitur, quod *hæc in ſanguine*, ac *illa in partibus ſolidis fundatur*. Sed probat *Vir Doctiſſimus* febrem non eſſe in ſanguine, *quia cum omnes corporis viventis actiones à principio vitæ participe oriantur, ſanguis autem in partium viventium cenſum non debeat admitti*; *ſequitur ſanguinem quantumvis bene diſpoſitum, non recte ſtatui*

ſtatui actionum corporis viventis cauſam efficientem, proindeque nec male diſpoſitum, cauſam actionis vitioſæ.

Hic contra Rationem primo, & ipſius Senſus teſtimonium, negas ſanguinem vitæ participem, cum ſit ipſius vitæ fons, ejuſque, uti ac animæ ſenſitivæ, ſubjectum immediatum, id quod ex obſervatione *Harvei* liquidò conſtat; vel (quia hujus authoritatem contemnis) tui ipſius oculi (modo in Anatomicis ſis quicquam verſatus) Te doceant, ſanguinem primo vivere; quinetiam ſacræ literæ hoc clare teſtantur, ubi ſanguinis eſus interdicitur, *quia ſanguis animalium vita eſt*: textus Hebraicus quiddam amplius ſonat, nempe *ſanguinem eſſe animam*, unde impietas, quam *Harveio* imputas, in *Te* potius redundat, qui hæc ignorâſti: Sed de ſanguinis vitâ infrà fuſius diſſeretur, ubi oſtendemus ſanguinem eſſe caloris principium, atque *calidum*,

quod dicitur *innatum*, omnino à sanguinis influxu pendere; unde facile sequitur, non *calidi innati ametriam*, sed ipsius sanguinis dyscrasiam esse febris causam.

P. 10. At vero profertur hic ingens, & plane Giganteum telum. *Sanguinis efferveſcentia non eſt cauſa febris, quia efferveſcentia ſanguinis poteſt eſſe ſine febre, & febres ſine efferveſcentia ſanguinis.* Hic aliquid dicis, sed probes; nempe, quod *febris poteſt eſſe ſine immodica ſanguinis efferveſcentia, aut motu inordinato*; *patere aſſeris in febre Hectica, quæ citra obſervabilem ſanguinis motum, aut fervorem, partium ſubſtantiam depopulatur.* Itane credis sanguinem in febre Hectica supra modum non efferveſcere? undenam igitur in hoc morbo, pulsus creber, & celer, genarum rubedo, calor in volis manuum, & sudores nocturni? De Hectica recte obſervavit *Doctiſſimus Williſius*, eam sæpissime à pulmonum, quan-

quandoque etiam ab aliarum partium ulcere inteſtino procedere; quod etiam *Galenus* innuit, qui lib. de different. febr. 1. c. 9. ſcribit, ſe *ex coli inteſtini inflammatione diuturna, ut & renum, & veſicæ ſimilibus affectibus, Hecticam febrem ortam vidiſſe.* Dicas Tu igitur, quî poteſt ulcus in loco privato latitans, calorem in ſolidis totius corporis partibus accendere, niſi quod prius labem ſanguini aſpergat, ipſumque effervefaciat; etenim ſanguis impura ulceris ſanie inquinatus, nutrimenti laudabilis loco particulas acres, ac irritativas, quæ nempe cum particulis, cujuſque membri inſitis, efferveſcunt, apponit. Hoc *Doctiſſimus Williſius* de febr. c. 11. clare oſtendit; licet Tu illum febris Hecticæ conſiderationem omnino præteriiſſe falſo affirmes; itaque objectionis tuæ pars una corruit: videamus quo fulcro altera innititur.

Sic arguis; *quòd ſanguis citra febrem*

febrem ultra modum ferveat, & æstu mirabili cieatur, luculentam faciunt fidem, Scorbutus, Rheumatismus, multi morbi cutanei, narium, & hæmorrhoidum fluxus sanguinolentus, ac profluvium mensium, p. 11. Huic facilè erit referre, quòd, licèt in ejusmodi casibus sanguis commovetur, tamen non propriè efferveſcere dicatur, saltem non ejusmodi efferveſcentiâ, quam *Willisius* ad febrem excitandam requiri asserit; nam ille vocabulum Efferveſcentiæ, quâ febrem describit, explicans, dicit eam ejusmodi liquoris cujuslibet turgeſcentiam esse, quam in vino deprehendimus, cum ob sulphur exaltatum, aut rem non miscibilem ei confusam, immodicè ebulliat; nostro Idiomate vocatur (*fretting of wine*) quare & sanguis non nisi ob particulas sulphureas, aut spirituosas nimis exaltatas, vel propter particulas Heterogeneas ei intimè confusas, efferveſcere dicetur. Hinc sequitur

tur, non omnem ſanguinis perturbationem efferveſcentiam ejus appellari debere : nam à vini potu, exercitio citato, & ob multas alias cauſas ſanguis perturbatur ; ſed quia denuò ſtatim ſedatur, efferveſcentiæ nomẽ non meretur. Præterea in *Scorbuto*, *Rheumatiſmo*, *morb. cutaneis*, & ſimilibus, plerunq; ſanguinis particulæ ſalinæ exaltantur, ideóque commotæ, liquoris ſanguinei inordinationes quaſdam cient : at ſiquidem particulæ iſtæ ſalinæ ad accendendum ſunt minus aptæ, febrem generalem non inducunt : quandoque tamen prædicti affectus, quatenus particulæ ſalinæ perturbatæ, etiam alias inflammabiles commovent, febrem anomalam, aut febriculam adjunctam habent.

Quod autem ſpectat ad hæmorrhagias immenſas, abſque febre contingentes ; cuivis ſedulò obſervanti conſtabit, ſæpe febriculam quandam ejuſmodi ſanguinis eruptiones præcedere, cujus augmentum

mentum ab evacuatione iſta non rarò præcavetur, nempe morbi fomite foràs ejecto. Ut plurimum verò immoderata ſanguinis profluvia à duabus cauſis dependent, quæ tales effectus ſine febre, immo ſine quavis immodica perturbatione producere valent: nempe in Scorbuticis, aliiſque Hæmorrhagiæ obnoxiis partium tonus valde laxatur, ac fibræ debilitantur, ut vaſorum oſtiis minus conſtrictis, ipſa ſæpe dehiſcant, & prorſus aperiantur; quare cum ſanguis, ſale fixo multum imbutus, arteriarum oſcula facilè reſeret, & venarum difficulter ſubeat, nihil mirum eſt ſi crebrò foràs erumpit: Præterea in illis caſibus ſæpe adſunt ingentes viſcerum obſtructiones, ut ſanguis eorum anfractus liberè pertranſire nequeat; Quin vario obice hic, & circa interiores corporis partes anguſtatus, neceſſe habeat verſus extimam ſuperficiem copioſius deferri, & ſæpe, quà data

data porta, exire. Atqui ut ſanguis alicubi exitum inveniens ubertim prorumpat, efferveſcentiâ nihilo magis opus eſt, quam ut idem è vena pertuſa (quod equidem aliquando ad animi deliquium evenit) ſponte ſua effluat. Quod attinet ad fluxum menſtruum, videtur quòd ſanguis in eo, ad turgeſcentiæ plenitudinem aſſurgens, efferveſcere incipiat; ſed quoniam maſſa ejus ab evacuatione iſta ſtatim depletur, & eventilatur, ideò temperiem ſervat, atque particulis tum ſpirituoſis, tum ſulphureis ultrò ſubſidentibus, efferveſcentia, ſaltem quâ febris accendatur, ceſſat, & pervertitur: E contra obſervare eſt interdum, quando fluxus menſtruus ſubito ſupprimitur, febrem ſuccedere; nempe quia ſanguis efferveſcere incipiens, non ſtatim eventilatur, ſed à particulis ejus fermentativis intus cohibitis, tota maſſa fervorem concipit, ac demum in efferveſcentiam febrilem erum-

mentum ab evacuatione ista non rarò præcavetur, nempe morbi fomite foràs ejecto. Ut plurimum verò immoderata sanguinis profluvia à duabus causis dependent, quæ tales effectus sine febre, immo sine quavis immodica perturbatione producere valent: nempe in Scorbuticis, aliisque Hæmorrhagiæ obnoxiis partium tonus valde laxatur, ac fibræ debilitantur, ut vasorum ostiis minus constrictis, ipsa sæpe dehiscant, & prorsus aperiantur; quare cum sanguis, sale fixo multum imbutus, arteriarum oscula facilè reseret, & venarum difficulter subeat, nihil mirum est si crebrò foràs erumpit: Præterea in illis casibus sæpe adsunt ingentes viscerum obstructiones, ut sanguis eorum anfractus liberè pertransire nequeat; Quin vario obice hic, & circa interiores corporis partes angustatus, necesse habeat versus extimam superficiem copiosius deferri, & sæpe, quà data

data porta, exire. Atqui ut ſanguis alicubi exitum inveniens ubertim prorumpat, efferveſcentiâ nihilo magis opus eſt, quam ut idem è vena pertuſa (quod equidem aliquando ad animi deliquium evenit) ſponte ſua effluat. Quod attinet ad fluxum menſtruum, videtur quòd ſanguis in eo, ad turgeſcentiæ plenitudinem aſſurgens, efferveſcere incipiat; ſed quoniam maſſa ejus ab evacuatione iſta ſtatim depletur, & eventilatur, ideò temperiem ſervat, atque particulis tum ſpirituoſis, tum ſulphureis ultrò ſubſidentibus, efferveſcentia, ſaltem quâ febris accendatur, ceſſat, & pervertitur: E contra obſervare eſt interdum, quando fluxus menſtruus ſubito ſupprimitur, febrem ſuccedere; nempe quia ſanguis efferveſcere incipiens, non ſtatim eventilatur, ſed à particulis ejus fermentativis intus cohibitis, tota maſſa fervorem concipit, ac demum in efferveſcentiam febrilem erum-

erumpit : Ex his liquidò patet quomodo fluxus ſanguinolenti, abſque inſigni ſanguinis effervescentia contingunt : Quare *Hiſtoriæ de Balman, & Fœminâ Briſtolienſi* allegatæ, pro Te nihil faciunt, niſi forte ut *Hibernis, & Briſtolienſibus* innoteſcat, Te ſemel ad *Dominum Theod. Maiern* literas dediſſe. Poteram ego exemplum hæmorrhagiæ longe admirabilioris, quam quæ a Te adducitur hic proferre, nempe de Puella cui per ſexennium ſanguis quotidie ad 5, vel 6 uncias, & non rarò ad libræ pondus erumpere ſolebat, modò ex naribus, modò ex auribus, modò ex hoc, aut illo oculi alterutrius cantho, interdum ex pulmonibus ; nam quolibet die, & nocte ex uno, aut pluribus horum locis erumpebat, ac inſuper menſtrua ſtatis periodis ordinate profluebant : Sed Tu forte hunc caſum minime mirabilem arbitrabere, quoniam puella, ex præſcriptis *Doctiſſimi Williſii*, reme-

remediorum chalybeatorum usu, contra quã ægri à Te tractati, perfecte sanabatur; ac etiamnum apud *Wanting* in agro *Atrebatensi* nupta, & plurium natorum mater vivit, valetque: Obvium est in hoc casu vasorum oscula nimis laxa, & patentia fuisse: ideoque postquam usu chalybis, & sanguinis crasis emendatior, & vasorum ora constrictiora redderentur, hæmorrhagia ista stupenda cessavit. Sed ad *Mearam* nostrum revertamur.

CAPUT

CAPUT III.

Succorum nervoſi, & nutritii doctrina aſſeritur contra Mearam.

EN hic grave crimen *Williſio* objectum, nempe quod *multa dicat, ſed nihil probet.* H. e. quod non ipſius more, propoſitiones minime cohærentes, velut lapides nullâ arte, aut curâ, ſed tumultuariâ ferè operâ fortuito commiſſos, & ab invicem facile diſceſſuros, ſyllogiſmis tantum, & capreolis, è dialectica mutuatis, inter ſe vinciat, & connectat: Sed ego dicam tibi, ne neſcias, in diſquiſitionum methodicarum inſtitutis, velut in ſtructuris apta ſymmetria fabrefactis, haud tale quidpiam requiri: nam fundamento ſtabili, ac arte poſito, ubi ſaxis bene quadratis, & ſibi mutuò adaptatis, ædificium aſſurgit,

git, ferramentis iſtis, fibuliſq; nihil opus eſt: Itaque *Doctiſſimus Williſius*, quia priuſquàm de febribus diſſertationem inſtituit, doctrinam fermentationis, illi præviam, & baſeos loco jactam, fusè explicaverat, tum ſanguinis Anatomiam, cæteraq; omnia quæ ad Pyretologiam firmiùs ſuperſtruendam facere videbantur, experimentis, & inſtantiis confirmaverat; parùm neceſſe habuit in ſequentibus methodum ſuam ſpinoſis Logicæ elenchis turbare, adeóq; aſperam, & incultam reddere.

Verùm inſtat Vir egregius, *ſuccum nutritium*, quinimò, & nervoſum à *Doctore Williſio* gratis aſſignari, cùm *tales reverâ in corpore humano non reperiantur.* De ſucco nervoſo perpendat Ille quæ ab Authore noſtro in Tractatu ſuo *de Cerebri Anatome* ſcripta ſunt, & argumenta pro exiſtentiâ, & uſu ejus ibidem allata diluat, ſi poſſit: Circa alterum ſuccum

postea à me plura accipiet. Interim à *Willisio* parumper divertit ille, & viros alios celeberrimos, *Doctores* sc. *Harveum*, & *Glissonium* ausu æquè temerario, ac inani adoritur: Quas contra *Glissonium* attulit argumentorum umbras, præterire debeo, quoniam mihi nefas sit, præoccupare Viri Doctissimi propriam defensionem, qui optimè potest, & facilè nullo cum negotio objectiones *Mearas* refellere. Interim dum illas *Mearæ* in Doctissimum Virum animadversiones perlego, non possum non advertere quosdam illius, errores dicam, an obstinatas contra veritatem opiniones: Neque enim circulationem sanguinis, quam sensui demonstrare facile cuivis, ac promptum est, eum adhuc negare pudet, dum sanguinem ad partes nutriendas, per *arterias*, *aut venas deferri* autumat, p. 33. Vir egregius incertus utro ductu sanguis ad partes feratur, sapienter facit quòd ambos simul innuit,

innuit, cùm ſi motum ſanguinis circularem intellexiſſet, planè ſciret venas ſanguinem à partibus omnibus verſus Cor referre, deferre autem nulli. Deinde acutè admodum de nutritione diſſerens, facultates, quaſi tot famulorum miniſteria conſcribit, ut ſit alia *concoctrix*, alia *retentrix*, alia *expultrix*; cujuſmodi Scholarum nugæ, nebulæq;, à quo Philoſophia experimentis inclaruit, evaneſcere debuerunt.

CAP. IV.

Sanguinem ſanguificare juxta Harveium.

JAm ſucci nervoſi figmento ſatis ut arbitror diſcuſſo. Quin ego arbitror Te ſuccum nervoſum qualem *Williſius* deſcripſit, non omninò diſcuſſiſſe; immò nè u- p. 37.

num argumentum, aut rationis umbram contra exiſtentiam ejus protuliſſe, aut proferre poſſe; probare Tu quidèm conatus es contra *Clariſſimum Gliſſonium*, ſuccum nervoſum non eſſe nutritium, quod ſi quis daret tibi, quid impedit quo minùs idem Liquor ſpirituum animalium vecturæ inſerviat? Profectò niſi ſpiritus hoſce in Cerebro, & nervoſo genere ſcatentes tibi negare animus ſit, etiam hujuſmodi ſuccum, qui iſtis pro vehiculo eſſe poſſit, ibidem ſcaturire, concedas, neceſſe eſt; quare tu contra *Williſium hîc ſupponere mavis quàm probare.*

Sed eccum, aliud gravius crimen, non modò *Williſio* objectum, ſed etiam *Harveo*, nempe quòd *Hæmatoſeos munus ab iis ipſi ſanguini attribuatur:* nam quid tunc fiet de facultatum ſc. *attractricis*, *alteratricis*, *retentricis*, *concoctricis*, aliarumq; in his, atq; illis viſceribus diſpoſitarum miniſteriis; ingens hoc famulitium utiq; proſcribetur,

ſcribetur, ſi ipſe ſanguis nutrimentum ſuum aſſimilet: Ideóq; *Harvei*, qui hoc primò aſſeruit, theoremata, nè in poſterum ἀνεξελάσεως καὶ ἀβασανίσεως illa admittantur, ſtatutum eſt *Mearæ* (ſi Diis placet) omnia ad examen revocare. Ubi nè antiquum minùs obtineat, aut videatur paululùm receſſiſſe ab arte, & naturâ ſuâ, quibus ille dicteriis non auſus eſt, & memoriam violare, & turbare cineres, nempe illius viri, cujus nomini non ſolùm *Britannia*, ſed & exteræ gentes, & quicquid ubiq; Literatorum eſt, ultrò aſſurgunt? At verò *Ormonienſis* quiſquam ut *Harveum* pro *abſurdo*, *ridiculo*, & *impio* habuerit? (Ea quippe *Mearæ* vox eſt, tanquam *Ranunculi è paludibus Hibernis*, naturâ invitâ orti, invitâ modeſtiâ coaxantis): Sed jam poſtquam moderationem hominis vidimus, argumenta ejus expendamus, ſi quid forte in *Harveum* protulerit ſolidiùs quàm verecundè! Et primò doctrinam utriuſq;,

ſive Hypotheſin ſimul collectam, generaliùs adumbrabimus, ut deinde argumenta, eorumq; vires, & pondus, quaſi ad libram, ſingula æſtimemus. *Inſignisſimus Harveus* animalium generationes, eorumque prima rudimenta & formationes ſedulò explorans, experientiâ ſatis luculentâ comperit, viventium productiones non fortuitò atomorum concurſui attribuendas eſſe, ſed virtutem, ſeu potentiam quandam ſumme architectam, admirandis iſtis operibus interſeri, cujus directione animata quævis in ſpecies ſibi deſtinatas, cum aptâ membrorum, & viſcerum omnium conformatione fingerentur; quódque virtus illa plaſtica, quæ corpus animatum format, ac regit, cujuſq; *anima* dicatur. Porrò ſiquidem inter ipſas corporis partes, quæſtio eſt, quæ ſint priores, nobilioreſque, à quibus cæteræ, quoad ſuas, tum productiones, tum operationes dependent; facilè ſequetur parti iſti,

isti, quæ ante alias producitur, quæq; ipsius animæ subjectum immediatum est, principatum ipsum deberi. Hanc verò demonstratione oculari constat esse sanguinem: quare cum sanguis ante viscera quævis formata existit (saltèm ante Hepar, & Lienem, quæ vulgò sanguificare perhibentur) cùmq; iste à primo fœtus conceptu, instar ignis accensi, micare incipit, ejusq; flamma sine viscerum ope indies dilatatur, quid obstat quo minus sanguis iste per se nutrimentum suum accipiat, & assimilet, quódq; materiam partibus aliis primò formandis, & postea semper enutriendis suppeditet?

E contra autem *Meara* pro dilectissimo suo Idolo, sc. *calido innato* (quod tamen absq; sanguinis influentiâ nihil est) acriter contendit: quare hujus dominium asserendum statuens, moderamini ejus functiones omnes ascribit: porrò quia calidum istud intra partes solidas hospitari credidit, iis fa-

cultates neſcio quot, & quales attribuit, quibus ſingula quævis œconomiæ animalis penſa abſolvantur: interim ut ſanguis non ſit omninò pars corporis, ſed quiddam ſecundariò productum, quodque per ſe nihil efficiat, ſed tantùm motibus, ipſi per alias partes impreſſis, obſequatur.

Hæc totius controverſiæ ſumma eſt, in quâ non ſatis mirari poſſumus pertinacem *Mearæ* obſtinationem, qui cum veteribus errare maluit, quàm veritatem, indubitatis recentiorum experimentis erutam, comprobatamque, amplecti: Nam ad ſenſum patet ſanguinem viſceribus, ac partibus aliis omnibus, priorem eſſe: Aſſerit tamen ille ſanguinem omninò iſtorum viſcerum ope fabricari, ac quoad motum regi: Præterea quid perſpicuè magis liquet quàm animam (irrationalem intelligo, quæ nobis cum brutis animalibus communis eſt) in ipſo ſanguine fundari? cùm enim anima

ma illa sit corpori coextensa, cùmque, uti *Willisius* rectè obsérvat *Anat. Cerebr. cap.* 11. ejus duæ sint partes, nempe una flammea, seu vitalis; ac lucida altera, seu sensitiva: prior ista in sanguine continetur, adeò ut animalium vita sit nihil aliud quàm sanguinis in corde accensio, ejusq; intra vasa deflagratio: Porrò animæ pars lucida, sive sensitiva omninò à sanguine procedit; quippe spiritus animales sunt tantùm spirituosæ, ac subtilissimæ sanguinis particulæ in cerebrum extillatæ. Hinc sicut vitæ primordia à sanguine accenso, & primò micante ducuntur; ita cùm sanguis, aut velut oleum à lampade, ita subtrahitur, ut accensio ejus perennari nequeat; vel eventilatione prohibitâ, tanquam flamma occlusa, suffocatur; vel quando miasmate maligno, aut venenato tactus, extinguitur, etiam vita animalium perit. Profectò viventia perfecta intereunt, non ob calidi innati defectum,

fectum, ſed quia ſanguinis accenſio inhibetur: partes ſolidæ pertundi, dividi, ſecari, ac mille modis abſq; vitæ periculo vulnerari poſſunt; at cùm ſanguis nimis profunditur, aut, actione cordis impeditâ, circulatio ejus interrumpitur, tum ſtatim anima ſenſitiva diſperditur: Porrò ubi ſanguinis influxus à particulari quovis membro inhibetur, quid tunc tuum *calidum innatum* poteſt? certè nec ſeipſum, nec partes continentes tutari valet, quin brevi iſtæ ſphacelo corripiantur. Quapropter cùm ſanguis animæ, ac vitæ potentiam in ſe contineat, quid in ſanguificandi, immò & partes ſolidas enutriendi munera ei concedamus? Sed libet hìc *Mearæ* in *Harveum* animadverſiones particulatìm expendere.

Itaq; animad. 1. p. 39. arguit *Meara*, *Quòd ſanguis non poteſt chylum in ſe convertere, quia non poteſt recrementa ejus, nempè bilem, & melancholiam, ſecernere & in veſicu-*

veſiculam felleam, & in lienem deponere. Hìc videtur *Meara*, pro captu ſuo, (in coquinariis magis, quàm in chymicis verſatus) rerum ortus, & productiones æſtimare; nam hæmatoſeos opus non niſi partium organicarum, velut plurium manuum adminiculis, & miniſteriis peragi poſſe credit; eodem forſan ritu ac in pulmento conficiendo fieri aſſolet; cùm ſi *naturæ* (uti ipſe de ſe prædicat) *conſultiſſimus eſſet*, intelligere potuerat, ſanguinem in corde, ac vaſis, non ſecus ac vinum in dolio, propriæ fermentationis opere, & virtute elaborari, ac ad perfectionem evehi; nimirum ſpiritus, aliáq; principia activa, ubi motûs libertatem adepta ſunt, ſeſe explicant, inque alias particulas craſſiores agentia, eas ſubigunt, quod in iis congener eſt, ſibimet ipſis aſſociant, quod Heterogeneum, ſecernunt: profectò ſanguis ſpirituum, nec non ſalis, ac ſulphuris copiâ turgeſcens,

cens, propter ejuſmodi particularum δυνάμεις, & ἀκρότητας, non modo in corde fermenteſcit, inque vaſis, velut intra machinæ hydraulicæ canales circulatur, ſed inſuper in chylum ſibi jugiter allatum, ac infuſum, agens, particulas ejus ſubigit, ac minutiſſimè confringit, quod homogeneum eſt aſſimilat, atque fœculentias craſſiores, & aduſtas (quas *Meara* melancholiam, & bilem appellat,) in veſicam felleam, ac lienem, tum etiam ſeroſitates in renes deponit, particulas autem nutritias partibus ſolidis affigit. Sed reponit *Meara contra naturæ providentiam eſſe, chyli impuritatibus ſanguinem, in ſpiritus vitales, & animales iturum, inquinari, quas in promptu ſit eliminare, priuſquam in cordis thalamos ferantur.* Mirum profectò Te Bilem quam ubiq; evomis non intelligere, & cujus copiâ nimiùm turges, ejus ortum, atq; naturam nondum capere; Nempe credis Tu bilem,

&

& melancholiam è chylo immediatè, & antequàm ſanguini miſcetur, in viſcera iſtæc deponi: Sed dicas velim quibus viis hæc fiet; profectò ſi partium iſtarum, aliarumq; Anatomiam, vel modicè calluiſſes, neq; hoc unquam aſſerueras, neq; potueras, opinor, tot paſſim errores, aut ipſe, admittere, aut *Harveo* imputare: nulli enim ductus præter vaſa ſanguifera, & nervos, quicquam ad Hepar, aut Lienem deferunt. At multò ſubtiliùs diſputas contra ſanguinis virtutem nutritivam; nempe *ſi ſanguis alimentum ſolidis partibus apponit, ergò apponit ſeipſum, quia alimentum primo in ſanguinem convertitur; ſin ita, vel una pars ſanguinis aliam apponit, vel unaquæq; ſeipſam.* An non hic obvium eſt concipere, quod alimentum primo elaboratur in ſanguinem; dein à diuturnâ iſtius ſanguinis circulatione, accenſionéq; quædam particulæ ejus ampliùs concoctæ in humorem glutinoſum,

glutinosum, ovi albumini analogum, maturantur, qui sc. ipsum est nutrimentum solidis partibus apponendum: Dein quod spectat ad appositionis modum, si intelligere potes quo ritu fluvius inter saxa, & Tophi asperitates decurrens, iis lanuginem limosam affigit, non est ut perquiras quomodo sanguis particulas nutritias solidis partibus apponit; enimvero tales particulæ sanguini commixtæ cum torrente ejus ad partes omnes convehuntur, ad quas cùm adpellunt, particulæ hæ poris, & meatibus hisce, illæq; illis, prout eas invicem adaptari contingit, adhærent, assimilantúrque. Vide quàm facilè subtiles tuæ argutiæ, sicut aranearum telæ, difflantur. Sed reponit *Meara quod partes potiùs assimilantur sanguini, quàm sanguis partibus.* Dico sanguinem, quamdiu quoad crasin, & motum rectè habet, particulas nutritias partibus solidis affigere, easque ibidem assimilandas relinquere; eundem

eundem vero debitò acriorem & citatiorem factum, non rarò ſolidarum partium ſubſtantiam abſumere earúmque particulas delibatas in ſe rapere; uti & torrens rapidior uliginem ripis non affigit, ſed etiam priùs affixam deterit, & abſorbet.

Animadv. 2. *p.* 41. Ad inſtantiam tuam, quòd *definitio partis ſanguini haud convenit, cùm non ſit toti cohærens*; quid ſi dicamus ſanguinem toti cohærere? Nam ſanguis per totum corpus animatum diffuſus eſt, ac in eo inſeparabiliter manet; in quantum ſc. à toto, aut quolibet membro, abſq; ſubjecti interitu, penitus divelli nequit; an nihil eſſe partem concedes, niſi quod toti immobiliter accreſcit? an non fluvius perpetim decurrens, æque ac ſtabile ſolum, regionis cujuſpiam pars cenſeri debet? Interrogo utrùm anima bruti non ſit quædam pars ejus, illud tamen haud toti, velut tabulato, compingitur: reverà

ſanguis

ſanguis cùm ſit animæ vehiculum, ſimili ritu ac ipſa anima corporis pars habeatur.

Animadv. 3. *p.* 42. Frivolum eſt hoc quod aſſeris, *ſanguinem ad quamlibet corporis partem injuriâ graviori laceſſitam acucrrere, non vi propriâ, ſed facultatis, corpus regentis, imperio:* nam quænam iſta facultas corpus regens, niſi anima? vel, ubinam iſta eminentiùs hoſpitatur quàm in ſanguine, ac in ſpirituum animalium è ſanguine procreatorum ſyſtaſi? prout ſuprà oſtendimus. At Tu potiùs quàm ſanguinem cum *Harveo* quicquam perſentiſcere concedes, ad *Antiperiſtaſin*, *Antipathiam*, *Sympathiam*, aliaq; ignorantiæ ſubterfugia te recipere & malis, & neceſſe habes.

P. 43. Dicis, *ſanguinem ab aliquâ corporis parte in generatione pendere, partemq; unde ita dependet illo eſſe priorem.* Nonnè tu hoc *ſupponere mavis, quàm probare?* Sed cur non partem illam nominâſti?

minasti? Certè hoc non ausus es ne facilè refuteris: quippe ab ovi inspectione constat sanguinem ante reliquum corpus existere; sed Tu *etiam ova in incubata sedulò te inspexisse venditas*, idcirco eruditè asseris *in pulli fabricâ sanguinem, & reliquas partes in ovo ex albumine, & vitello formari*; cùm aliorum præter Te omnium observatione constat, pullum solummodo ex albumine fabricari: quare vitellus, post formationem ejus ferè integer manens, atq; intra abdomen receptus, pullo, tum in ovo adhuc existenti, tum postea exclusо, enutriendo inservit. Ita inanes tui conceptus te ad quodlibet vel contra sensuum indicia affirmandum passim cogunt. Certè tum egregius opinator adprimè dignus est, qui veterem medicinam collapsam restituat.

Animadv. 4. p. 45.

Hæc paragraphe solummodo liturâm meretur, quia nihil præter vesanum convitium, ac impudens

mendacium continet. Harveum *ridiculè egiſſe dicis, eumq; aſſeruiſſe ſtupendam hominis fabricam non niſi fortuitò conditam*, cùm *Harvei* verba haud tale quidquam, ſed potiùs contrarium ſonant.

Animadv. 5. p. 46.

Contra *Harveum* è veteri logicæ tuæ penu egregiè argumentaris, *ſi modo ſanguis receptaculis ſuis ſit prior, ergo vel tempore, naturâ, aut dignitate; at non tempore, quia continens, & contentum qualia ſunt ſanguis & receptacula ejus, cùm ſunt correlata, ſunt ſimul tempore; ergo.* Putas Tu fortè, quæ tua eſt verecundia, etiam hoc argumentum ſolutione dignum, & putes per me licet *Meara* dummodo à nobis non expectetur: nam qui hujuſmodi nodos expediant facilè invenias inter Tyrones Philoſophos, aut immaturos & Tui ſimiles Sophiſtas. Sed perge nugari: Neq; enim minùs inane, ac frivolum illud, quo mox arguis *omnes partes corporis naturi*

naturâ priores esse sanguine, quia finis sanguinis est nutritio partium; naturâ autem prius est partem esse, quam nutriri: pari ratione concludere possis, pullum ovi vitello priorem esse, quoniam hic nutrit; ac iste nutritur: Verùm te intelligere oportuit *Meara*, sanguinem ab initio materiam pro corporis fabricâ, dein partes pro ejusdem nutritione suppeditare. Itaq; in posterum opinor aut curabis ut ea meliùs intelligas de quibus scripturus es, aut quæ nondum capis utiq; tacebis; nam quæ protulisti hactenus, debuerunt sanè pueris in trivio venditari, utpote Philosopho indigna, & scriptore, & lectore.

Animadv. 6. p. 47. Cùm *Harveus*, cessante omni Cordis pulsatione, in ipso sanguine undulationem quandam, & obscuram trepidationem observasset, atque exindè sanguinem ultimò in se pulsûs, vitæque authorem retinere concluſisset; quàm ineptè Tu in-

fers nihil ampliùs esse, *quàm si aqua pelvi contenta, ad motum vasis continentis moveatur?* quasi moribundo animali spiritus vitalis è sanguine erumpens, intestinum quendam istius liquoris motum non poterit efficere.

Animadv. 7. p. 47. In hoc loco cum *Harveo* agis, non malevolè tantum, sed perfidè, ubiq; vanus, & futilis, hìc mendax etiam & fraudulentus. Citat ille *Aristotelis* verba *è c. 3° l. 2^di* de generatione, ubi Philosophus ait *omnem animæ, sive virtutem, sive potentiam corpus aliud participare videri, idque magis divinum quàm ea quæ elementa appellantur*; quod idem Philosophus dicit *propterea respondere elemento stellarum:* Tu autem *Harveum* asserentem inducis, *Sanguinem corpus aliud divinius participare, ac supra elementorum vires agere, & esse elemento stellarum analogum:* quæ verba ab *Harveo* nusquam dicta sunt, immò à sensu ejus sunt prorsus aliena;

ita

ita ut reprehendat eos, qui *ſpiritum aliquem à ſanguine diſtinctum quærunt, deoſq; in ſcenam advocant.* Itaq; pro Tuâ modeſtiâ, qui nimio plus fronte, parùm Cerebro vales, Illuſtriſſimi viri non ſolùm verba torquere auſus es, ſed & adulterare ſenſum, & prorſus invertere; atq; hoc eo tantum fine, ut cum aſſertione hâc *Harveo* imputatâ, à te fictâ, contrarias ejuſdem Authoris ſententias committendo, protinus, ſeu datâ, ſeu arreptâ occaſione improbè exclamares, *Hic candide Lector magni illius philoſophi, & medici quidlibet è quolibet deducentis nervoſum ratiocinium attentè conſidera & mirare.* Quin potiùs hìc candide Lector aſpicias veteris medicinæ egregium inſtauratorem, quem multò ſatius eſt ad *Categorias, & prædicabilia remitti*, quàm ut ſemel attigerit ſanos Authores, quos tam malè intelligit, tam ſceleratè, & inſidioſè tractat.

Animadv. 8. *p.* 50.

Harvei assertio quòd sanguis sit partim similaris, partim dissimilaris constitutionis, inferiùs perquam luculento experimento illustrabitur, & à calumnia tuâ vindicabitur.

Animadv. 8. *p.* 54. Sed pergit *Meara, quo jure* Harveus *ait sanguinem esse hominis animam, idem jam, sed minore impietate calorem nativum appellat.* An non tu majoris impietatis reus es, qui negas sanguinem esse animam? Siquidem hoc dicto, expressis sacræ Scripturæ (prout supra allegavimus) verbis contradicis: qui acriter adeò contenta *Maccabæorum* libris vindicasti, an Scripturæ canonicæ testimonio refragaberis? At verò te pessimè angit, quòd *Harveus* dixerit *sanguinem esse calorem innatum*; nempe si corruat tuum calidum innatum, de totâ medicinæ tuæ Theoriâ penitùs actum erit. Sed probo tibi tuo more h. e. Syllogisticè, quòd tantùm

tùm ſanguis, & nihil præterea ſit calidum innatum; Quod eſt pars primò nata, & quæ ſola calorem in ſe continet, eumq; partibus omnibus aliis diſpenſat, eſt calidum innatum. Propoſitio iſta patet ex ipſis terminis, qui ſunt convertibiles; nam calidum innatum idem ſonat, ac primò natum eſſè, & calidum formalitèr, & effectivè exiſtere: Probo minorem per partes, 1. Sanguinem primò natum eſſe, obſervationes Anatomicæ, ex ovi incubati inſpectione, planè evincunt. Tu autem veſiculam pulſantem ſanguine priorem eſſe contendis, ſed dicas ob quem finem veſicula iſta fabricatur, ac pulſat; nonne ut ſanguinem contineat,& propellat? Ergò cùm receptaculum illud omnino ſanguinis gratiâ producitur, certè pars quæ in formatione fœtus primò intenditur, ipſe eſt ſanguis; qui cùm per ſe exiſtere nequit, niſi vaſe aliquo contineatur, veſicula illa, ſc. Cordis rudimentum ab ini-

tio formatur, in quo ſanguis velut nobilius productum recondi poterit: 2. Quòd autem ſanguis ſit tantùm per ſe calidus, & calorem partibus aliis quibuſcunq; diſpenſat, vel hinc patet, quoniam à ſanguine nimis detracto, aut refrigerato, tanquam ab igne penitùs extincto, caloris præſentia, ac diffuſio ubiq; ceſſat; porrò juxta calorem ſanguinis intenſum, aut remiſſum, gradus ejus in toto corpore proportionatur; cui accedit quòd animalia, quorum ſanguis eſt actu frigidus, uti piſcium quorundam, omni calore, etiam & innato quoad ſenſum deſtituuntur, licèt interim ea corde, & viſceribus, aliiſq; partibus, quæ tu calidi innati ſubjectum eſſe prædicas, ſatis inſtruuntur: profectò ſanguinem caloris fontem, & Authorem eſſe infrà adhuc ampliùs conſtabit, cùm de ſanguinis accenſione dicemus.

CAP.

CAP. V.

Gliſſonii *argumenta pro ſanguificatione à* Mearæ *animadverſionibus.*

IN ſuperiori capite *Mearæ* objectiones, contra hæmatoſeos munus ſanguini attributum allatas, expendimus, ubi planè conſtat, argumenta (ſi tamen ita dici mereantur) quæ contra *Harveum* profert, tanquam miſſilia in ſcopulum projecta, cum dedecore in ſeipſum reſilire, ejuſq; ignorantiam, non minùs quàm malitiam prodere. Interim bonus ille vir *Harveum* à ſe devictum ſomnians, *Doctiſſimum Gliſſonium* ad idem certamen provocat, ejuſq; rationes pro ſanguificatione allatas, & attentare audet, & refutaſſe confidit.

Cæterùm has *Mearæ* animadverſiones præterire, ipſumque ad

Gliſſo-

Gliſſonium, ut inſigniùs vapulet, remittere decreveram, niſi quòd primo ſtatim aſpectu appareret, redargutiones ita futiles, & inanes eſſe, ut minimè deceat *Clariſſimum Gliſſonium* cum adverſario adeò vulgari in arenam deſcendere. Et verò nè ſic abeat, aut maledicendi licentiâ impunè habitâ triumphos agat, fas ſit mihi diſquiſitiones ejus eruditas paululùm ventilare.

Itaque primo ſtatim congreſſu argumentum profert, quod non modò *Gliſſonium*, ſed & *Harveum*, *Williſium*, & quoſcunq; alios ſanguinis patronos, uno ictu conficit. Dicit Egregius vir, p. 57. *Nullum ſpiritum, ſive liquorem vitalem, in materiâ ſeminali præexiſtentem in ſanguinem abire, ſed partium fœtus ſolidarum lineamenta ex materiâ ſeminali fieri, nutrimentum autem, & vivacitatem illis ex utero materno per vaſa umbilicalia accedere per ſanguinem & ſpiritus indè delatos. Cujus rei argumentum evi-*

dens

dens illud est, quòd vasa umbilicalia in fœtu nondum excluso perforata sint, & pertusa, signo manifesto Naturam, quæ nihil frustrà molitur, alicujus liquoris per illos canales accessum destinasse, qui nullus alius esse potest quàm sanguis maternus: Et deinde mox addit, *Primum sanguinem in fœtu inter formandum conspicuum non generari vel in fœtu ipso, vel in aliquâ ejus parte, sed aliundè in fœtus nutrimentum, & augmentum suppeditari.* Miror hoc tibi priùs in mentem non venisse, nam poteras alias quascunque probationes tuas prorsus omisisse; si vera sint quæ nunc asseris, dissertatione ulteriori non opus est, tibi palma deferatur; *Tu Phyllida solus habeto.* Verùm enimverò hæc assertio tua manifestè prodit, te nec vasorum umbilicalium usum scire, nec sanguinis circulationem omninò intelligere. Dicis, *vasa umbilicalia in fœtu nondum excluso perforata esse, & pertusa.* Magnum hoc secretum, quod

paucos

paucos præter te obſervaſſe putas; ſed quomodo probas, *hæc vaſa ſanguinem maternum fœtui deferre?* certè hoc *ſupponere mavis*, nam impoſſibile eſt ut *probes*, quin hujus contrarium demonſtrare liceat: quippe ſi vaſa iſtæc ſanguinem maternum fœtui deferant, aut arteriæ, aut venæ illud faciunt: Sed reſpondebis forſan utì priùs, quòd *arteriæ vel venæ*, hunc ſanguinem deferunt: Probo quòd neutræ; 1. non venæ, quoniam hoc eſt contra legem circulationis, ut venæ ſanguinem illàc prorsùm deferant, quia conſtans illarum munus eſt ſanguinem ab arteriis foràs provectum reducere: Porrò quòd arteriæ umbilicales hoc minimè efficiunt, conformatio ipſarum planè oſtendit; nam arteriæ truncus à fœtu ortus ramificationes ſuas in placentam uterinam, inque alias membranarum, quibus fœtus involvitur, partes diſſeminat, manifeſto indicio ſanguinem per arterias umbilicales à fœtu verſus uterum,

rum, & non ab hoc in istum deferri.

Sed quis rationum usus ubi oculi sufficiunt? aut quid opus est ut argumentis probetur quod Autopsiâ demonstratur? Nam si crebrâ animalium prægnantium dissectione constet, (constat autem planissimè) fœtum maximâ ex parte formari, & sanguine per circuitus traducto actuari, priusquam aut vasa umbilicalia existant, aut ipse cum utero materno connectatur: Quis præter te *Meara*, unquam credidit sanguinem ad fœtum derivari ab utero, cum quo nondum cohæret, & per vasa quæ nondum sunt?

Verùm ut Te paulisper edoceam (nam alii satis norunt) quem ad modum, atq; in quos usus funiculus umbilicalis producatur, sciendum est sanguinem, ubi vegetior in fœtu factus, cum impetu quodam circulari incipiat, spatio ampliore, & eventilatione quâdam indigere; quæ quoniam, utì

in

in excluſis, per reſpirationem, & pulmones obtineri nequeunt, ipſe ſanguis alia ſibi vaſa, in quibus extra fœtus ambitum, refrigerationis gratiâ expatiari poſſit, nempè arterias excudit; & mox eodem artificio venas, per quas paulùm refluat, & in fœtum regrediatur; ita paulatim hæc vaſa fabricantur, atq; in debitam longitudinem producta, tum in ramos, & propagines fiſſa, tandem membranis fœtum involventibus, & placentæ uterinæ inſeruntur; Ita ut fœtu jam auctiore facto, probabile ſit ſuccum quendam nutritium (qui nondum ſanguis eſt, ſed lacti analogus) è placentâ ſanguini in venis reduci admiſceri, & ab ipſo fœtûs ſanguine in ſanguinem aſſimilari. Profectò certum eſt, præter hunc ſuccum à venis umbilicalibus abſorptum, alium intra membranas concluſum ab ipſo fœtus ore liguriri, ac intus in ejus cætera viſcera tranſmitti: Ad hunc modum res ſe habet in utero;

ro ; quamprimùm autem fœtus in lucem editur, ac aër respiratione attractus in pulmonem admittitur, illicò sanguis ab eorum ductibus, velut ignis à reverberii clausi canalibus, priùs excluſus, eos irruit ; & proinde non modò liberius spatium, in quo circuletur, obtinet, sed insuper tanquam ignis in reverberio, spiraculis apertis, magis accenditur. Atq; ob hanc rationem evenit quod *Harveus* observavit, sc. in fœtu nondum edito, pulmones instar hepatis rubescere, qui tamen statim à partu coloris albidioris, ac si elixi essent, evadunt : namq; in utero sanguis minùs inflammatur, sed tacito incendio gliscens pulmones ægriùs pertransit, qui postea excluso fœtu, cùm hæc spiracula pateant, in flammam apertiorem erumpit, atq; per vasa pulmonica irruens, parenchyma illud aliquatenus elixat. Postquam ad hunc modum pro sanguinis circulatione pulmonum ductus aperiuntur, vasis vas-

Ellica-

bilicalibus non ampliùs opus eſt; quare iſta, ſicut etiam canalis arterioſus, dum fœtus in utero eſt, ſanguinem tranſmittens, uſus ſuos amittentia coaleſcunt, ac impervia fiunt.

Uno abſurdo admiſſo mille inſequuntur. Hinc *Meara* poſtquam egregium de ſanguine materno in fœtum derivato commentum finxiſſet, illud etiam oviparis applicat; & contra manifeſtum ſensûs indicium, *ſanguinem ab ovi vitello per vaſa umbilicalia in pulli rudimentum deferri* autumat: Quod ſi totum conceſſero, pro ipſo nihil faciet; neq; enim vitellus eſt ſanguis, aut tunica eum involvens uterus gallinaceus. Utcunq; hoc clypeo alias *Gliſſonii* rationes, pro ſanguificatione allatas, ſatis averti poſſe confidit: quare dicit Gliſſonii *argumenta falſo ſuppoſito inniti*, p. 61. & denuò p. 65. ait *falſum in argumento à* Gliſſonio *ſupponi*, ſc. quòd aſſerit ſanguinem primo conſpicuum in ipſo fœtu confici, interim

interim quantum à vero distat illud *Mearæ* suppositum, si modo rem intelligere satagat, quoniam aliis non credit, ipse videat.

P. 64. Contra *Glissonium* arguit *Meara* sanguificationem non fieri per assimilationem, quia *assimilatio, cùm sit perfecta, & absoluta nutritio, sanguini non competit, sed potius generatio*, cum sit res inanima. Hìc supponit *Meara*, tantùm animalia nutriri, vel sanguinem esse prorsus inanimem; cujusmodi suppositum ejus omnino falsum est, nam & nos supra probavimus sanguinem animatum esse, & plantæ quæ sunt inanimes nutriuntur.

P. 67. Sed instat ille *sanguinem sicut inanima, quamvis majorem molem acquirat, non crescere, aut nutriri, quia id fit per juxta positionem, non per intus receptionem, quæ fit per organa & ab interno principio.* Dico interna sanguinis principia, sc. imprimis spiritus ejus, multò potiùs quàm quæ san-

guificationis organa dicuntur, in particulas ſucci nutritii agere, eas alterare, & alias ab aliis ſecernere, ac demùm quæ ipſi congruæ ſunt in ſe ſuſcipere, & prorsùs aſſimilare; aliis interim incongruis ad viſcera, & emunctoria, quæ totidem quaſi incernicula ſunt, amandatis: revera ipſe ſanguis eſt, qui propriâ fermentationis virtute particulas Heterogeneas Separationi præparat, ac in hepar, lienem, renes, glandulas, aliáque emunctoria convehit, cerniculis interim iſtis nullatenus ad ſe quicquam trahentibus, aut quoquomodo allicientibus, ſed particulas ſanguinis ſegregandas ſolùm excipientibus, ut in cloacas idoneas deponant; niſi fortè & hoc concedendum ampliùs, iſtiuſmodi organa Texturæ, & conformationis internæ beneficio, poros ita configuratos, ſeu diſpoſitos habere, ut tranſitus liquori ſanguineo liber, & accommodatior, excrementis difficilis, aut nullus patet;

at; unde exuviis hiſce poſitis, ipſe ſanguis non verior quidem quàm fuerat, ſed defæcatior efflu-it. Hoc reſponſo corruit altera redargutionis pars, in quâ *Meara* aſſerit, *ſanguificationem non fieri per actionem ſimilarem; quia tunc fieret per nutritionem:* quid enim impedit quo minùs dicamus ſanguinem, ſicut partes ſolidas, nutriri, cùm particulas nutritias in ſe excipit, & aſſimilet?

P. 70. Hoc loco malè infers, Gliſſonii *argumentum ſupponere ulteriorem elaborationem requiri ad hæmatôſin, quàm ad partium ſolidarum reparationem*, cùm ille tantum arguat, cor, hepar, & venas, ſi ſanguificent, duplici officio defungi; hoc eſt, proprium nutrimentum, & præterea ſanguinem conficiendi: quare cùm prius magis iſtis neceſſarium ſit, & forsàn utríq; non ſufficiunt, ſequetur partes iſtas, materiam pro hæmatôſi allatam, non in ſanguinem, ſed in proprium nutrimentum convertere.

P. 72. Hìc fatetur *Meara* (haud tamen ingenuè, ſed argumenti *Gliſſoniani* vi coactus) *aliquas Galenicorum rationes contra ſanguificationem efficaciter non concludere, aç ſatis eſſe ſi quædam ſint efficaces.* Certè nullam adhuc à te allegatam efficacem fuiſſe ex prædictis planè conſtat. Verùm ſi hâc non ſuccedit, aliâ tentanda eſt viâ; Nam Epimetheus noſter, relictis argutiis, ad experimenta confugit; certè unicum hoc in toto libro occurrit; quo ſimul experiaris Lector & veracitatem hominis, & ingenium.

Itáq; *p.* 73. Cùm velit oſtendere ſanguinem ab hepate confici, hoc ait confirmari lactis exemplo, *cui ſi paululum fellis incoxeris, illico pulchrum ruborem acquiret, lacti autem analogus eſt chylus, biliſq; nonnihil in ſe continet, ac propterea accedente ulteriore in hepate coctione, ſaturato colore tingitur.* Experimentum tuum melius quadrâſſet; ſi lacti ſantalum rubrum incoxeras,

coxeras, id namq; ſuo colore lac facilè inficiet: Dein quia ſantalum apud vos galenicos Hepaticum audit, & chylus lacti analogus, nimirum illico ſequetur chylum ab hepate non ſecus ac lac à ſantalo rubro tingi. Vis quod res eſt ſeriò proferam, *Meara?* Profectò aut *Briſtolienſium* bilis magis bileſcit, & lac noſtrum veſtro crudius, aut (quod magis arbitror) id Tu nunquam expertus es, quod tamen haberi vis pro experimento, ego Fellis bonam copiam lacti, & ad horam incoxi. Quis fuerat eventus quæris? Spe falſus operam perdidi, & ruborem mihi quidem conciliavi, quem nec Tibi nec lacti potero.

Sed ſatis Tibi conſcius es *Meara*, nec rationes Tuas, nec experimentum illud etiamſi ſuccederet, ſufficere; quarè, quod unicum ſuppetit, decretum eſt Tibi quicquid novi recentiora ſæcula medicinæ, & veterum inventis addiderunt, fortiter negare. Nam

p. 74. negas *ſanguinem chylo miſceri*, & quaſi hoc minus eſſet, proximis ferè verbis negas *chylum ſanguini miſceri*, perinde quaſi neutri cum altero res fuerit. Sed de chylo quid fiet interim, niſi ſanguini impendatur, & penum ſanguinis continuò pereuntem quid obſecro præter chylum reſarciet? Cæterum quid Tibi in mentem venerit miror, ut & à Galeni, & veterum quoq; medicorum doctrinâ receſſeris. Illi omnes chylum in vaſa meſaraica immediatè influere ſtatuerunt, ubi neceſſe eſt ut ſanguini confundatur, priuſquam hepar attigerit. Tu autem ne morem adverſandi omnibus relinquas, omnes pariter recentes & antiquos deſeris: Poſſem hic Aſellii venas, Pecqueti receptaculum & ductus thoracicos deſcribere, & tibi (quæ præter te nullus non vidit) oſtendere, per quos vaſorum mæandros chylus inſtar lacteſcentis rivuli in venam ſubclaviam properat, & ſanguinis ru-

bro

bro mari immergitur: Sed alius erit te docendi locus; jam ſcribam ſapientibus: Et Chylum ab Hepate non tranſmutari, ſed aliquandiu cum ſanguine circulari, priuſquam in ſanguinem mutatur, unico experimento conficiam non tibi tantum ſed & aliis novo. Itaq; cani probè ſaginato, ſi poſt 4 aut 5 horas vena jugularis aut arteria carotis incidatur, dein totus è corpore ſanguis effluat, & in variis vaſculis receptus refrigeretur; mox chyli lacteſcentis ingentem copiam à cruore coagulato ſecedere, eiq; innatare conſpicies; è contra ſi eodem modo tractaveris jejunum animal, & plures horas impaſtum, in cruore refrigerato nihil chyli ſeparatur aut apparet; indicio ſatis manifeſto ſanguinem poſt aliquot circuitus chylum adhuc in ſinu ſuo geſtare, & nondum perfectè aſſimilatum circumvehere; qui tamen utriq; liquores repetitâ circulationis operâ tandem ita digeruntur & intimè miſcen-

tur, ut in unius ſanguinis nomen & naturam tranſeant.

Sed circuitum ſanguinis, qualem *Harveius* deſcripſit, & nos ſupponimus, *Meara* alibi modò negavit, modò in dubium vocavit, nimirum *p.*75. circulationem iſtam, quia *ſecundum juniorum calculum ſanguinem per hepar cor & arterias velociùs corripit*, rejiciens, aliuſmodi circulatorium ſanguinis motum, ad ſui & *Fortunii Liceti* mentem ſubſtituit, in quo *nec ſemper tantum ſanguinis, quantum illi aſſerunt, nec ad ſingulos pulſus ex ſiniſtro cordis ventriculo in aortam deponitur: ſed ſanguis eâ temporis & copiæ menſurâ quæ totius indigentiæ conducit, ab auriculâ in dictum cordis ſinum effunditur, indeq; in auriculam denuo refunditur, & perpetuo Euripo remittitur ad perfectam uſq; elaborationem, tum demum per aortam in corporis refectionem abiturus*; Nec Neotericorum *experimenta contrarium evincunt, quia miſerabilis viviſectionis tortura corpus in ſtatu*

non

non naturali ponit. Qui ſolem negant terram circuire, eum ſolummodo circa proprium axem converti ſtatuunt; proinde tu quaſi alter in medicinâ *Copernicus* ſanguinem putas non in toto corpore, ſed tantum in corde circulari; qua ſolerti conjecturâ tuâ *Pariſanum*, *Primroſium* alioſq; omnes circuitus ſanguinei oppugnatores longè ſuperâſti. Equidem credo te cogitâſſe de machinâ quâ mulieres ruſticæ utuntur ad conficiendum butyrum; nam eodem planè ritu ſanguinem in corde elaborari ſtatuis, nempe *ab auricula in cordis ſinum effundi, indeq; in Auriculam refundi, & perpetuo Euripo remitti ad perfectam uſq; elaborationem.* Sed vereri oportuit, ne ſanguis nimiùm agitatus & concuſſus tandem coaguletur, & hinc liquor ejus aceſcens, prout ſerum butyro confecto ſolet, paroxyſmos febrium intermittentium, quales modò deſcribit *Williſius*, inducat ſententia hæc tua ſatis vel ipſâ repe-

repetitione refellitur. Quinimò arteriæ, cur juxta cordis motum vibrissant, si non singulis pulsibus sanguis in aortam ejiciatur? Si vena ubivis digito comprimatur, constabit sanguinem per eas versus cor continuo cursu festinare; illarum autem vacuitates quomodo supplentur, nisi ipsius in arterias perennis influxus concedatur? Porro observationes pathologicæ satis indicant, affectus gravissimos, utì cordis oppressionem, & lipothymiam à sanguine vel momentum temporis intra cordis sinus stagnante induci. Sed instas sanguinem in sinistro cordis ventriculo diu coercitum non illic stagnare, at *circuitum quendam inter sinum & auriculam peragere*, nempe qualem equus molæ alligatus, dum intra eundem locum gyratione continuâ circumducitur. Interea tamen quid fiet de sanguine vasa pneumonica influente? An par est ejus cursum sisti, dum *perpetuus iste sanguinis in sinistro cordis*

dis ſinu Euripus finitur? Annon pulmonum inflatio & immobilitas prout in Aſthmaticis paroxyſmis aſſolet, à ſanguine in eorum ductibus ſtagnante inducentur? Præterea cùm in cordis ſyſtole ſinûs latera compreſſa ſanguinem explodant, neceſſe erit, eum non in auriculam quâ intraverat, & in quâ præſtò eſt ſanguis alius qui mox ſubintret, ſed in aortam propelli; cùm è cordis ventriculo in hujus ductum, & non in auriculam (impedientibus hoc valvulis mitralibus) exitus pateat. Certè nihil uſpiam in Medicinâ non modò improbabile ſed & ridiculum magis excogitari potuit, quàm hæc circulatio ſanguinis *Mearana.*

Verùm miles hic glorioſus tanquam devicto *Harveio* pergit ad vaſa Pecquetiana, quorum & exiſtentiam in dubium vocat, & uſum planè negat; nam p. 78. ait, *Non parùm ſuſpectum eſſe uſum lacteorum thoracicorum à* Pecqueto *aſſignatum; nam quamvis dubitandum*

dum non sit duos ramos à receptaculo Pecquetiano ad subclavias ferri, eosq; nonnunquam visos chylo refertos; id tamen perpetuum esse necesse non est, cùm inter diros empsychotomias cruciatus succi omnes confundantur, & ad Cor quà possunt commodiùs pergant, naturæ omnibus, quantumvis irritis machinis, parti tam nobili suppetias ferre conante, unde fieri potest ut tunc temporis etiam succus chylosus hoc iter licèt alteri usui in animali rectè valente destinatum, præoccupet.

Quare hæc vasa ideò tantùm condita fuisse asserit ut *inter diros animalium cruciatus succi ad cor quà possunt commodiùs pergant.* Priùs dixeras nec *chylum sanguini, nec sanguinem chylo misceri*, nunc verò inter cruciatus ita fieri non modò commodum ducis, verùm id-propter hæc vasa fabricari innuis; At verò si rebus naturaliter se habentibus chylus sit sanguini inimicus, certè multò minùs, cùm natura affligitur, eidem confundi debet;

debet ; ſed hæc vaſa *machinas irritas* appellas, quibus (te ipſo judice) natura cordi ſuppetias ferre conatur, verùm ſi irritæ ſint, cur natura, quæ nihil agit fruſtrà, eas omninò fabricavit ? Aut ſi in ſubitis ac improviſis cordis affectibus chylum ſubſidio venire oportuit, nihil opus erat iſto circuitu, nec per ambages ad cor afflictum perducendus eſt, quem potiùs feſtinare decuit viâ proximâ & maximè compendiariâ. Sed miror quâ fronte de vaſis hiſce chyliferis, eorumve uſu muſſitare auſus es, quæ facilè hinc conjiciat aliquis te nec vidiſſe unquam, nec inveſtigaſſe ; nam ſi corpus cujuſvis animalis recens paſti mactatique aliquantò curioſiùs quàm Lanii ſolent, diſſecuiſſes, ei chylum lacteſcentem, per innumeros canaliculos in commune receptaculum, atq; illinc ſolùm per vaſa thoracica ad venam ſubclaviam deferri, ibidemq; ſanguini infundi adverriſſes, non erat ut chylum ſanguini

dum non sit duos ramos à receptaculo Pecquetiano ad subclavias ferri, eosq; nonnunquam visos chylo refertos; id tamen perpetuum esse necesse non est, cùm inter diros empsychotomias cruciatus succi omnes confundantur, & ad Cor quà possunt commodiùs pergant, naturæ omnibus, quantumvis irritis machinis, parti tam nobili suppetias ferre conante, unde fieri potest ut tunc temporis etiam succus chylosus hoc iter licèt alteri usui in animali rectè valente destinatum, præoccupet.

Quare hæc vasa ideò tantùm condita fuisse asserit ut *inter diros animalium cruciatus succi ad cor quà possunt commodiùs pergant.* Priùs dixeras nec *chylum sanguini, nec sanguinem chylo misceri*, nunc verò inter cruciatus ita fieri non modò commodum ducis, verùm id-propter hæc vasa fabricari innuis; At verò si rebus naturaliter se habentibus chylus sit sanguini inimicus, certè multò minùs, cùm natura affligitur, eidem confundi debet;

debet ; ſed hæc vaſa *machinas irritas* appellas, quibus (te ipſo judice) natura cordi ſuppetias ferre conatur, verùm ſi irritæ ſint, cur natura, quæ nihil agit fruſtrà, eas omninò fabricavit ? Aut ſi in ſubitis ac improviſis cordis affectibus chylum ſubſidio venire oportuit, nihil opus erat iſto circuitu, nec per ambages ad cor afflictum perducendus eſt, quem potiùs feſtinare decuit viâ proximâ & maximè compendiariâ. Sed miror quâ fronte de vaſis hiſce chyliferis, eorumve uſu muſſitare auſus es, quæ facilè hinc conjiciat aliquis te nec vidiſſe unquam, nec inveſtigaſſe ; nam ſi corpus cujuſvis animalis recens paſti mactatique aliquantò curioſiùs quàm Lanii ſolent, diſſecuiſſes, ei chylum lacteſcentem, per innumeros canaliculos in commune receptaculum, atq; illinc ſolùm per vaſa thoracica ad venam ſubclaviam deferri, ibidemq; ſanguini infundi adverriſſes, non erat ut chylum ſanguini

ni miscerì, eumq; ordinariè hâc viâ transmitti omninò dubitaveris.

P.76. Non rectè concludis contra *Glissonium hydropem & cachexiam profusas hæmorrhagias consequi non ob sanguificationem læsam, sed quia deficiente nutrimento partium tonus & facultas concoctrix debilitantur, ac spirituum tum insitorum tum vitalium reparatio & Generatio cessat.* Præterquam enim quòd partes solidæ non ita subitò immutari possunt, etiam spiritus isti, si modò in partibus solidis & non à sanguine producantur & dependeant, profusâ Hæmorrhagiâ tam insignitèr & tam citò imminui nequeunt. Nam quod tu regeris spirituum generationem cessare, & partium solidarum tonum debilitari ob nutrimenti defectum, omninò falsum est, quoniam in longâ inediâ & assiduis laboribus, nutrimentum multò magis deficit, & exinde partes solidæ magis emarcescunt quàm ob sanguinis

guinis jacturam, quæ tamen accidentia nec hydrops nec cachexia sequitur: Quare hinc constat morbos istos quando hæmorrhagiis succedunt, à sanguificatione læsâ procedere; atqui læditur sanguificatio non viscerum sed ipsius sanguinis culpâ, quatenus nimirum liquor ejus particulis spirituosis defraudatus proprium alimentum non ritè coquit & assimilat; quod vitium nisi tempestivè emendetur, plerunq; viscerum obstructiones sequuntur, eò quod sanguis ex cruditate serosus & impurus dum eorum porositates pertransit in ipsis sordes & fœculentias relinquit.

P. 79. *Glissonii* experimentum quod contra hæmatôsin cordis urget (sc. *quia lac aut chylus cordi adhuc calido & recens exempto infusa nullam mutationem subeunt*) impudentèr derides potiùs quam refellis; cùm revera, si cor sanguificet, verisimile sit illud perfici à fermento quodam cordi insito, ejusq; in viscere exempto saltem vestigia quædam

quædam & ejuſmodi reliquias ſupereſſe, quæ chylo aliquatenus alterando etiamnum ſufficiant. Nam quod tu de ventriculo pariter exempto inſtas contra te facit, & fermentationi à corde exempto peragendæ probabilitatem quandam aſtruit, quippe experientiâ quotidianâ patet, vitulorum ſtomachos exemptos & aſſervatos priſtinæ ζυμώσεως indolem quandam retinere, quâ mulieres ruſticæ pro lacte coagulando utuntur. Quod regeris contra *Gliſſonium* & *Williſium partes à toto ſeparatas ſtatim formâ ſive animâ totius privari, & propterea actionem ſuam amittere*; facile refutatur, quia animalium quorundam corda poſtquam corpore eximuntur, diu pulſant; tum anguillæ & ſerpentis partes, poſtquam diſciſſæ ſunt, omnes ſe movent: Sed tu forte ad mentem *Ariſtotelis* animam hìc innuis, quæ *ſit tota in toto, & tota in quâlibet parte*: Nempe ut ambitioſus ſophiſta verbis inhærere mavis quam revera

revera ſapere. Nos cum *Williſio* formam ſive animam bruti eſſe corpoream & diviſibilem corpuſculis ſubtiliſſimis conflatam, & corpore animato coextenſam ſtatuimus. Ultima tua in *Gliſſonium* animadverſio *p.* 82. petulantis tantum ſplenis venenum eructat, ubi *virum eruditiſſimum ad categorias & prædicabilia remittendum ſtatuis*; at nos ſuprà oſtendimus te in notionibus logicis, licet maximè occupatum, nondum tamen ſupra tyrones aut ſophiſtas ſapere; Sed quò tu demum, ut ſanioris medicinæ ac Anatomiæ inſtitutis imbuaris, relegandus es? *Harveium* & *Gliſſonium* quos refutandos ſuſcepiſti nondum intelligis, de partium corporis uſu aut deſcriptione nihil ultra Iconas in libris expreſſas ſapis; Credo te picturas, ut pueri ſolent, quoniam admiraris, ſedulò inſpicere, ipſam vero partium hiſtoriam præterire; Hinc fit ut glorieris te in *Bartholini* Anatomiâ, Hepatis figuram,

in quâ vasa lactea ad hepar ascendentia exprimuntur, reperiisse; & contra expressam istius Authoris sententiam rem ita habere concludis, nimirum quia tale quid in picturâ delineatur. Verùm ut perspiciat candidus lector quâ fide tractaveris, quo judicio legeris Authores, ipsa *Bartholini* verba hic transcribere vîsum est. *Bartholinus* de Lacteis Thoracicis in ultimâ Editione Anatomiæ *cap.* 6. sub finem capitis hæc dicit. *Mirum observavimus in cane quodam satis magno & sano septimâ post pastum horâ aperto, ductus lacteis simillimos, sed modò lacte, modò sero pellucidos, à mesenterio sive receptaculo novo serpere partim sursum ad hepar cum portâ, modò ad renes per emulgentes, modò inferiora versus secundum cavæ descendentis ad Ilia tractum, cui insternebantur, & mediâ membranulâ jungebantur, donec vesicæ alveus conspectum interciperet ulteriorem, qui vinculo levi intercepti inferiora versus tumebant,*

mebant, versus meſenterium verò inaniebantur; ut ſuſpicio nobis ſtupentibus nata ſit, peculiare hoc eſſe vaſorum genus ſero deſtinatum; de quo judicium in alias obſervationes diſtulimus. Judicium hoc ſuum poſtea explicuit idem Author in tractatu de vaſis Lymphaticis c. 2. ubi ſeriem & occaſionem, quâ hæc vaſa inveniſſe ſe ſcribit, oſtendit, ejus verba ſic ſe habent. *Obſervavimus ſæpe in canibus diſſectis ex Hepate aquoſos ductus prodeuntes, ſed qui pro lacteis eos habuimus, ulteriori cogitationi ſuperſedimus,* & paulo poſt, ---- *in hepar cum portâ inſerebantur plurima vaſa tumentia, non chylo quidem, ſed aqueo humore per tunicas tranſlucente* & quæ ſequuntur, Lectorem enim ad *Bartholinum* remittimus. Cujus ſententiam de vaſis iſtis ad Hepar aſcendentibus nemo non perſpicuè videbit, nimirum eſſe illa non vasa lacteas ſed lymphæ, ductus porro figuræ, quas *Bartholini* eſſe aſſeris, *Walæi* Epiſtolæ (à *Bartho-*

lino quidem editæ) inſeruntur & ex Aſellio tranſcribuntur, primo lactearum inventore. Uterq; autem tum *Aſellius* tum *Walæus* ſcripta ſua multos annos ediderunt, priuſquam *Pecquetianum* inventum innotuit. Verùm enim verò quicquid *Aſellius*, *Walæus* aut alii contrà dicunt, certiſſime demonſtrari poteſt nullum chylum è communi receptaculo ad Hepar deferri; ſiquidem nulla vaſa ab Hepate in id pertingunt niſi vaſa lymphatica, quæ lympham ab Hepate in receptaculum deferunt & deponunt, non autem chylum ex illo aſſumunt, quod hoc unico experimento magis confirmabitur: Si enim commune receptaculum, cùm chylo turgeſcat, digitis comprimas, nè unica gutta ejus in hæc vaſa urgeri poterit, ſed per ductum thoracicum citiſſime in venam ſubclaviam liquor omnis trajicietur. Quinimò ſi ductum thoracicum prius arctè ligaveris ita ut nihil chyli illic pertranſire poterit, re-

cepta-

ceptaculum ipſum diſrumpi prius continget, quàm ut chylus in vaſa iſtæc lymphatica impelli poterit, valvulis ipſorum hoc impedientibus; indicio ſatis claro, nullum chylum à receptaculo niſi per ductum thoracicum in venam ſubclaviam deferri. In poſterum *Meara*, ſi ſapias aut velis ſapere, noli nimium fidere ſculptoribus, ſed aut ipſa animalia, aut ſaltem ipſos authores conſulito.

CAP. VI.

Sanguinis ex quatuor humoribus compositio Mearana *refellitur, tum vera ejusdem analysis & Anatomia traditur.*

QUo successu *pensum tuum*, ut ais, *de sanguinis facultate sanguificâ adversus* Harveium *&* Glissonium *absolvisti*, aliis judicandum relinquo: Interim pro *Willisio nostro* adversus te respondeo, eum principiorum chymicorum rectissimè numerum quinarium assignasse; nam corporum quorumcunq; analysis non modò spagyrica sed & naturalis ac spontanea, nullâ vi aut arte adhibitâ, totidem distincta elementa perpetuò exhibet; prout Author idem de Ferment. *cap.* 2. manifestè declaravit, omniaq; experimentis & instantiis illustravit. Quòd

Quòd instas eum *à veteribus chymicis discessisse, qui tria tantum principia statuerunt*, obvium erit referre, illos medicamentorum, aut magni Elixiris compositionibus potiùs quàm corporum naturalium resolutionibus intentos, potissimum respexisse ad principia activa neq; alia in censum retulisse.

Interea tamen de cæteris ad opus chymicum minùs idoneis, sc. de *terrâ damnatâ* ac de *phlegmate insipido* ab iis sæpe mentio facta est; quod ipse celare non potes, cum dicas eos aquam sub *Mercurio*, ac *terram sub sale comprehendere*: Quanto igitur meliùs *Willisius*, qui principia inter se composita explicuit, & ut plura, ita simpliciora constituit? Sed ne tu nimis de chymicis, quia hæc longè ultra crepidam tuam sunt: Quare his statim missis, benè est quod ad quatuor elementa te recipias: Etiam hæc tu per Analysin spagyricam exhiberi posse ex *Billichio* ostendis, nimirum *quia ex*

ligni combustione aerem aquam ignem & terram detegere liceat. Verùm annon in eodem ligno fuerant partes quædam *spirituosæ*, aliæ *sulphureæ*, aliæq; *salinæ*, quæ per analysin tuam minimè detectæ vel aufugerunt prorsùs vel delitescunt; & quarum δυνάμεις elementorum istorum vocabula nullatenus exprimunt?

Sed condonabit credo, *Meara, Willisio*, aliisq; Chymiam adeptis sua 5 principia, si modo ipsius quatuor humores intactos præterierint; sin hi in dubium vocantur, nutabit illicò tota medicinæ *Galenicæ* structura, quare isti ut stabiliantur, *Meara* omnes intendit nervos, rationes, experimenta, testimonia citat ac ferè nullum probationis genus dolosæ isti ac instabili Hypothesi suffulciendæ omisit; quæ tamen invitis omnibus ejus machinis facile in terram corruet, ut ex sequentibus patebit.

Itaq; supponit *Meara humores* non

non tantùm excrementitios, ſc. utramq; bilem & pituitam (quas etiam *Williſius* concedit) ſed & *quatuor naturales corporibus animatis ineſſe; eoſq; ſanguinis principia proxima, non remota, compoſitionis non generationis, partes ſe, integrantes & ſenſibiles eſſe*, p. 86. Hoc ut probet, primò ex *Billichio* ejuſmodi humores in ſanguine extra vaſa miſſo oculis conſpiciendos exhibet. *In ſummitate purpuraſcentem ſanguinem, in limbis flavioribus & tenuioribus bilem, in parte aqueâ ad albedinem nonnihil inclinante pituitam ſero permixtam, in fundo fœculentiam melancholicam reperiri* aſſerit. Egregius ſanè Analyſta qui iſtos humores in ſanguine tam facili negotio detexit, *idq; citra ullam furnulariî apparatûs pompam.* Sed oportuit te hoc aliis digito monſtrâſſe, nos enim in ſanguine ſano nil præter hæc tria, nempe ſanguinis florem, craſſamentum purpureum & ſerum videmus. Quæ ſit

harum

harum partium natura, & quantum à tuis imaginariis humoribus differunt mox ostendetur; interim ut tibi sanguinis natura & contenta meliùs innotescant, canem tibi compares, porcum aut aliud quodvis vivum animal, ejusq; cervicis cute dissectâ & amotis musculis arteria carotis in alterutro latere discindatur; tum sanguis emissus (qui totus effluet) in pluribus vasculis excipiatur, qui ubi refrixerit, per totum homogeneus, hoc est, floridus & coccinei coloris, absq; ullo crassamento nigricante seu atro purpureo apparebit. Aliquid seri, & (si animal post pastum jugulatum fuerit) quædam chyli lactescentis portio à reliquâ massâ secedit; sed utriusq; bilis tuæ & pituitæ nulla vestigia nullamq; umbram deprehendes. Hoc facto alteri animali è venâ jugulari paritèr apertâ sanguis omnis detrahatur, & vasculis excipiatur, quando hic refrixerit, in summitate cujusq; vasculi cremor

mor tantùm, ſive pellicula, quæ floridi ſive coccinei coloris eſt, apparebit; reliqua autem maſſa concreta, quæ decupla ad iſtam pelliculam eſt, coloris atro-purpurei videbitur, quare neq; hoc modo tui humores in conſpectum venient; & tamen in ſanguine ex utriſq; vaſis emiſſo, principia Chymica per deſtillationem proliciuntur, eaq; eâdem proportione è ſanguine qui totus coccineus eſt, ac ex eo qui totus ferè ſubater, extrahentur. Quod ſi regeris tu in nigricante iſto ſanguinis venoſi craſſamento humores tuos, ſc. utramque bilem & pituitam deliteſcere (quod tamen vix quiſquam concedet, quia nullâ arte ſe produnt) ergo humores iſti erunt cruoris pars maxima, atque ſanguis portio minima eſt ipſe ſui: Hujuſmodi phænomenon rationes cum ſanguinis utriuſq; naturâ & contentis in fine hujus capitis proponemus.

Poſtquam *Meara* imaginariam iſtam

iſtam ſanguinis extravaſati analyſin ſubdidiſſet, confidentèr pronunciat, *ſanguinis ex quatuor humoribus compoſitionem ſe autopſiâ probatam exhibuiſſe*, p. 87. pari ſcilicet autopſiâ ac cùm ex felle & lacte ſimul coctis ſanguinis confectionem demonſtrandam ſuſciperet; ut neſcias liquoris ſanguinei generationem, an analyſin infeliciùs deſcripſerit. Sed procedit ille ab ὅτι ad διότι ut *quatuor humores non tantùm ſanguini ineſſe, ſed ita factum oportuiſſe, nec aliter fieri potuiſſe oſtendat*; cujus ratio eſt, *quia cùm alimenta, quibus in quotidiano utimur victu ſint multiplicis naturæ, cùmq; corpus alendum multiplicis naturæ ac temperiei partibus conſtet, neceſſe erit ſanguinem, qui commune eſt totius alimentum, non homogeneum & uniuſmodi, ſed Heterogeneum & multiplicis temperamenti exiſtere*; quid ſi hoc totum tibi daretur, nempe ſanguinem non eſſe homogeneum? Non ſequitur tamen

eum

eum quatuor humoribus conſtare, niſi oſtenderis plantis & vegetabilibus, quibus animalia veſcuntur, eorumq; partibus ſolidis quæ enutriuntur, ejuſmodi quatuor humores ineſſe. Miror te quò hoc tuum ſuppoſitum feliciùs probares non advocâſſe in Scenam 7 Planetas & 12 Zodiaci Signa, nam ſiquidem ex iſtis quædam ſanguini, alia choleræ, aut melancholiæ, ac alia pituitæ vulgò præficiuntur, profectò hinc pari rationis ſpecie talium humorum exiſtentiam inferre poteras; & fortè id quidem feciſſes, niſi præſtò ad manum eſſet experimentum *Hippocratis*. Itaq; *ſanguinis partes eſſe quatuor humores ex electivè purgantium effectis demonſtrari ais, & hominem quoad vitâ fruitur ſanguinem in ſe, pituitamq; & utramq; bilem continere: Epoto enim medicamento phlegmagogo pituitam, cholagogo flavam bilem & melanagogo atram excerni.* Attamen quid fiet de experimento veſtro,

ſtro, ſi negemus pharmaca electivè purgare? Enimverò experimentalis & (quicquid tu contra muſſitas) ſanior Philoſophia, attractionem vix ſimilarem, multò minùs electivam in rebus naturalibus concedit; ſed omnes earum motus locales impulſioni rectiùs attribuit, quatenùs nempe particulæ aliæ aliis impinguntur, eaſq; adeò hùc illùc variè agitant aut propellunt: Ad hunc modum magnetis & corporum electricorum aliorumque virtutes meliùs explicantur; quòd verò ſpectat ad medicamentorum actiones, cuivis ſeriò hanc rem perpendenti facilè conſtabit, eas omnes aut vaſorum corporis irritatione, aut ſanguinis fuſione, ceu præcipitatione quâdam perfici: Porrò pharmaca prout hoc vel illo modo aut utroq; ſimul agunt, diſtingui poſſunt in lenia, mediocria, & fortia; quæ in priorum cenſu habentur, inteſtinorum tantùm fibras irritant, quas cùm in vermiculationes

nes crebriores cient, fæces laxiores leni ἐκκοπρώσει deturbant: In ſecundo cenſu collocari debent, quæ non tantùm inteſtinorum fibras ſtimulant ſed & ductuum & vaſorum ora, in cavitates eorum dehiſcentia vellicant, adeoq; humores in ipſis contentos exprimunt ſive emulgent: hoc modo bilis è meatu cholidocho, etiam humor Pancreaticus, nec non ſeroſitates ex arteriarum oſculis vellicatis ejiciuntur; Cujuſmodi humores ſiquidem acredine pollent, inteſtina ad excretionem magis ſtimulant: Ultimo occurrunt pharmaca, quæ tum inteſtina vehementiùs pungunt, proindéq; mucum iſtum, quo illinuntur, deradunt, tum inſuper illorum particulæ in ſanguinem per vaſa meſaraica & lactea admiſſæ, liquorem ejus fundunt, & ſeroſitates præcipitant, quæ ab arteriarum oſculis eodem tempore vellicatis in cavitates evomuntur. Cùm itaq; bilis, pituita, aut alii humores ſeorſim à reliquis

liquis excerni putantur, ita quidem fieri videtur; aut quia medicamina diversâ ratione in ipsa intestina, ceu in sanguinem agunt, proindéq; modò bilem è meatu cholidocho exprimunt, modò intestinorum mucum deradunt, qui pro pituitâ habetur, modò sanguinem fundunt & humores aquosos dejici faciunt, vel etiam ipsa pharmaca dejectionibus tincturam imprimunt; Ita enim Rhabarbarum bilem, & Senna melancholiam purgare perhibentur, quia dejectiones suis coloribus tingunt, prout *Doctissimus Entius* in suâ Apologiâ clarissimè demonstravit.

Sed quid te his moror? cui libitum est ὑποθέσει δουλεύειν, adeò ut huic in præsens stabiliendæ, quæ alio respectu plurimùm adversus te faciunt, asserere non dubitaveris. *Fernelio* irasceris quia *statuit humores excrementitios potiùs quàm alimentarios in purgatione excerni*, p. 89. Tu autem potissimùm alimentarios purgari contendis,

tendis, cujus rationem innuis quòd *ſani à Catharſi læduntur*, p. 90. Nimirùm hunc in finem tua Catharſis electiva inſtituitur, ut patientum damno & noxâ præcipuè quod *utile eſt & alimentarium* (prout ipſe ibidem affirmas) educatur? Certè tui hîc multùm oblitus es *Meara*, præſtiterat enim quatuor humores potiùs quàm pharmaciam tuam corruiſſe.

Nec tantùm in ſtatu ſano ſed etiam morboſo quatuor humores in homine reperiri, idq; non tantùm in receptaculorum ergaſtulis, ſed & in vaſis & habitu corporis in promptu eſt oſtendere, nimirùm quia in leucophlegmatiâ habitus corporis pituitâ tumet, in ictero utroq; cutis bile flavâ aut atrâ tingitur, p. 92. Quod tu in *leucophlegmatiâ & ædematoſo affectu pituitam*, nos multò rectiùs ſerum ſanguinis ſuperfluum appellamus, quod quidem, ſi modò ſanguis debitâ craſi pollens alimentum ſuum ritè coqueret & aſſimilaret, non gigneretur:

læsâ autem sanguificatione quoties gignitur, per renes, aut transpiratione, aut alio quovis modo excerni debet, unde constat ipsum esse merè excrementitium, & non domesticum, aut è censu humorum utilium ac alimentariorum. Quòd verò *cutis in ictero flavâ bile tingitur*, quis nescit humorem istum non tuum alimentarium, sed ipsissimam bilem esse, quæ cysti felleæ & intestinis destinatur? ab illis tamen propter porum biliarium aut ductum communem obstructum repudiata in sanguinem regurgitat, è quo in cutem ubiq; deponitur. Sed ob quam rationem icterum alterum, vulgò atrum dictum, à bile atrâ proficisci innuis? quasi melancholia usquam hunc morbum produxerit; cùm satis notum sit, icterum atrum à flavo procedere, in quem eâ tantùm ratione mutatur, quòd cysti felleâ diutiùs obstructâ, bilis excrementitiæ particulæ tam copiosè accumulentur, ut

san-

ſanguini & ſero incoctæ colorem non ampliùs flavum, at ſaturatiorem (hoc eſt) nigrum inducant; adeoque hic morbus, ſicut alter icterus, omninò ab eâdem bile, cyſti felleæ (ut ſupra dictum) deſtinatâ, ſed in hoc caſu à ſanguine iterum reſorptâ, exoritur. Quoad varios ſudorum *colores* ſc. *flavos, nigros, virides, cæruleos*, &c. quos ibidem citas, illi humores tuos neutiquam probant, cùm potiùs exinde contrarium evincatur: Namque hinc conſtat interdum ſanguini particulas heterogeneas miſceri, quæ nullo modo ad bilem alterutram, vel ad pituitam referri debent, licèt tu infantis ſudorem inſtar *(Coventry Blew)* ut appellas, coloratum *in variam utriuſq; bilis miſturam & ſingularem coctionis Idæam refers*, quæ verba tantùm ignorantiæ tuæ pallium prætexentia, reipsâ nihil ſignificant. Ejuſmodi caſus (licèt tu hunc quaſi rarum admodùm & inſolentem ideoq; tibi communi-

catum gloriaris) satis frequenter occurrunt. Sæpiùs vidimus istiusmodi sudores, & nigros etiam infantibus & pueris, ponè aures & sub axillis emanantes. Novi senem virum doctum & satis sanum, cui sudor juxta lumborum vertebras erumpens, quavis hebdomadâ superpositam indusii partem, aliaq; vestimenta ei proxima colore cæruleo tingit. Itaq; si nobis, postquam tu rem totam, ut soles, singulari coctionis Idæâ tam facilè & tam solidè explicueris, si inquam post tantum Philosophum nobis adhuc fas sit conjecturas nostras interponere, aut istiusmodi Phænomeni hypothesin qualemcunque accommodare, inprimis adnotandum est à salibus diversi generis inter se invicem, aut cum aliis liquoribus commixtis colores diversimodos produci, sæpè enim (nè quid hîc dicam de mineralium particulis acidis liquorem violaceum purpureo tingentibus) sæpè inquam advertimus salem armoniacum

acum etiam alchaliſatum tinctu-ram rubicundam modò in viri-dem, modò in cæruleam mutaſſe. Spiritus fuliginis infuſionem viola-ceam à ſpiritu Vitrioli addito purpuraſcentem, illicò in viridem alterat. Si Julapio è ſyrupo Ca-ryophillorum inſtar ſanguinis ru-beſcenti pulvis margaritarum im-ponitur, tinctura rubicunda brevi in cæruleam convertetur. Hæc cùm ita ſe habeant, non abs re fuerit conjicere, in quibuſdam corporis locis effluvia partim à ſanguine, & partim à ſucco ner-voſo erumpentia, diverſa ſalium genera participare, quæ in ſeroſo latice ſive ſudore inter ſe commiſ-ſa, colores diverſimodos produ-cunt. Certè experientiâ conſtat ſalem Armoniacum Vitriolico ad-junctum liquores tincturâ modò praſſinâ modò cæruleâ inficere, nec minus conſtat ejuſmodi ſali-bus nempè uno ſanguinem ac al-tero ſuccum nervoſum ſaturari; cui ſi addatur, ſudores coloratos

minimè univerſales ſed in iis præcipuè locis (nempè in cerebri aut ſpinalis medullæ viciniâ vel juxta emunctoria) contingere, ubi humoris utriuſq; ſat magna copia & confluxus eſt, profectò haud ægrè aliquis conjiciat iſtiuſmodi tincturas non aliis cauſis ſuam originem debere.

P. 94. Videtur hîc *Meara*, ut ſupra, ſibi conſcius quàm ſint invalidæ ac inefficaces ipſius rationes pro quatuor humoribus allatæ, quare plures conjungit, ut ſaltem cauſam defendat numerus junctæq; umbone phalanges. *Ut huic controverſiæ finem imponeret* ait *febrium continuarum excretiones tum criticas, tum ſymptomaticas; in quibus nunc pituita, nunc bilis atra, flava, vitellina, porracea, æruginoſa, glaſtea ſalubriter aut perniciosè excernitur.* Et poſtea. *Porrò fatetur* Williſius *à bile copiosè eductâ febrem non rarò ſolvi.* Sed quid humores iſti, quos conſtat merè excrementitios eſſe, ad tuos

quatuor

quatuor alimentares ipſum ſanguinem conſtituentes? vomitus iſti & dejectiones tum pituitoſi tum bilioſi cujuſcunque generis, partìm à ventriculi & inteſtinorum contentis in putrilaginem variæ indolis degeneribus, & partìm à bile è meatu cholidocho, & humoribus ſeroſis ex arteriis, aliiſq; ductibus in viſcerum cavitates expreſſis, procedunt: Hiſce à ſanguine nihil ampliùs accedit, niſi fortè effluvia calida & particulæ aduſtæ, quibus impura iſta primarum viarum ſaburra in majorem malignitatem excoquitur. Cùmq; ejuſmodi aduſtæ particulæ à ſanguine ſecerni aptæ, ſimul omnes ſudore critico foràs eliminantur, ſanguis Heterogeneâ miſturâ immunis temperiem ſuam recuperat, proindéq; morbus ſolvitur. Quis autem unquam vidit tali ſudore alterutram bilem aut pituitam poris cutaneis emiſſam? Quod verò *Williſius* à bile copiosè eductâ febres intermittentes in-

terdum curari asserit, ipse hujus effectûs rationem addit, sc. quia tali evacuatione receptacula & vasa cholidocha plurimùm inaniuntur, eademque mox salium & sulphuris particulas adustas copiosiùs suscipiunt, adeò ut sanguis istiusmodi particulis depositis ad debitam crasin citiùs & faciliùs restituatur.

Hactenus de sanguine, cui dignitatem suam, honestos natales, primogenituram, & Hæmatoseos munus vel invito *Meara* asseruimus, tum eluimus humores excrementitios & sordes istas quibus ille liquorem ejus infecerat. Unum restat, quo fidem supra datam liberemus, ut quid sanguis revera sit, quæ ejus natura, quæ contenta & proprietates paulò altiùs inquiramus.

Digressio

Digreſsio de natura ſanguinis.

CLariſſimus *Harveius* ſanguini ex aliis partibus principatum detulit, eò quòd proprietatem quam in parte principe *Ariſtoteles* requirit, ipſi conveniret; Nempè quòd ſit partìm ſimilaris, partìm diſſimilaris conſtitutionis. Hoc *Meara* pro more & captu ſuo, quod non intelligit, deriſioni habuit: At verò ſanguinem ejuſmodi liquorem eſſe experimento ſuperiùs ſatis conſtat; Utpote qui idem numero manens, ſi arteriis extrahatur, totus homogeneus, è venâ autem exceptus heterogeneus videtur; Cæterùm ut ratio iſtius phænomeni, ſeu diſcriminis inter ſanguinem arterioſum & venoſum meliùs innoteſcat, explicare oportebit, quæ ſit natura ſanguinis in genere, deinde in quos uſus ac munia uterq; ſanguis particulatim deſtinetur. *Williſius* in

Tractat.

Tractat. de febr. cap. 2. sanguinis Anatomiam exhibuit, ubi ex analysi ejus ostenditur, quibus ex partibus liquor iste constet, tum elementaribus, tum integralibus: nimirùm apparet, ipsum particulis quibusdam vino aliisq; lacti analogis imprægnatum in corde accendi, & exinde in arterias exilientem, eas, tanquam reverberii canales, cum deflagratione trajicere, adeóque calorem vitalem per totum corpus diffundere, simulque materiam tum ad solidarum partium nutritionem, tum ad spirituum animalium generationem requisitum dispensare. Porrò idem *Willisius* in Prælectionibus suis novissimè *Oxonii* habitis, priores istas de sanguine disquisitiones iterum recolens, ipsas juxta rationes à nupero experimento de arterioso venoséque cruoris discrimine desumptas, plurimum auxit & illustravit. Quocirca libet hìc ad mentem *Clarissimi Viri* re totâ in compendium redactâ αἰτιολογίαν quandam instituere. Itaq;

Itaq; videtur quod integra massa sanguinea quasi *fiscus generalis* fuerit, in quem *tributa* quvæis, *reditus* & *vectigalia* recipiuntur; Item è quo *sumptus* omnes ac *impensæ* in totius corporis animati commoda & exigentias erogantur: Ita tamen ut *sanguis venosus publici Receptoris*, ac *arteriosus Distributoris* vicem præstet. Quò magis operæ pretium erit utriusq; officii partes ad calculos revolvendo, quis sit illius sanguinis *reditus* quæ hujus *impendia*, distinctè, considerare.

Et *reditus* quidem sive *tributa* quæ à sanguine venoso recipiuntur, cum multiplicia fuerint, non impropriè ad quatuor hæc capita referri possunt: sc. Primò huc spectat quicquid *sanguinis veteris* intra arterias deflagrati, & exinde versus cor reducendi, ubiq; à venis suscipitur. Secundò *succi nutritii*, è chylo recens confecti, penus. Tertiò *latex* serosus è liquore tum arterioso, tum nervoso,

ſo, aut immediatè, aut per lymphæ ductus in glandulis, aliiſq; Emunctoriis depoſitus, & exinde in ſanguinem venoſum traductus. Quartò *Humores excrementitii*, quandoq; etiam *nutritii* in varias partes circa viſcera, aut habitum corporis protruſi, qui non rarò exinde in ſanguinem venoſum reſorbentur.

Primò *Sanguinis arterioſi* portio, quæ continuo circuitu verſus cor reducitur, *cruoris venoſi* baſis eſt, à quo reliqui humores acceſſorii, qui huic intra venas confunduntur, formam ſanguinis aut ſaltem rudimentum accipiunt: Quamdiu hic ſanguis veteranus craſin debitam, ſive temperiem ſervat, reliquæ mixturæ præpollet, ejuſq; particulas quaſcunq; ſibimet commixtas & aliquatenus aſſimilatas, intra cordis focum ritè accendi facit. Sin verò iſtius cruoris primigenii craſis depravatur, exinde αἱματ'σεως vitia quædam non levia ſuboriuntur; Nam

ſi

ſi iſte, prout interdum evenit, nimis frigidus & aquoſus, proindeq; non ritè fermenteſcibilis evadit, adventitii humoris penum, non ritè præparat; ſed tota ſanguinis maſſa, cruda uſq; & imperfecta, nec ritè in corde accenditur, nec in materiam corporis nutritioni, aut ſpirituum generationi idoneam exaltatur; prout obſervare eſt in malacia, hydrope, aliiſq; cacochymicis affectibus. Quòd ſi è contra ſanguis iſte vetus nimis aſſatus intemperiem aërem, aduſtam, aut aliàs, ob caloris exceſſum, vitioſam contraxerit, fieri vix poteſt quin ſuccus nutritius, aliiq; humores aſpersâ labe pervertantur, atq; in materiam febrilem, aut aliàs morbificam degenerent. Prout *Williſius* in tractatu de febribus clarè oſtendit.

Secundò Chylus ſucci nutritii penum ubercm, ceu rivulum vectigalem & ferè perennem ſanguini venoſo infundit; nam vetus

tus iste cruor priùs deflagratus & quasi effœtus, siquidem cordi rursum tradendus sit, ut de novo accendatur, succum nutritium requirit, quo tanquam pabulo sulphureo recenti ante cordis imbuatur. Certè ejusmodi succum sanguini infundi ab eoq; inter circulandum assimilari, cùm ductus chyliferi venæ subclaviæ inserti, tum insuper experimenta de sanguine qui totus è venâ aut arteriâ eductus, chylo adhuc recenti & nondum assimilato perfunditur, satis declarant. Itaq; liquoris hujus nutritii debita quantitas, ac justo tempore sanguini venoso affusa, ipsum ita accendit, ut materia nutritioni & spiritibus generandis idonea ritè præparetur. Sin idem Chymus intempestivè aut etiam nimiâ, aut minori quam par est copiâ, suggeritur; perturbatur illico tota αἱματώσεως Oeconomia, & hinc multa sanguinis vitia & variæ ægritudines oriuntur: Chylo enim deficiente materia

teria ipsa nutritia licet solidis partibus affixa, & aliquatenus assimilata in venas resorbetur; nimirum sanguis arteriosus quicquid prius partibus instaurandis texuerat, in hoc casu iterum retexit, & nutritioni partium meritò detrahit, ne forte calor vitalis ob pabuli defectum extinguatur. E contrà liquore nutritio plus satis exundante, viscera & partes solidæ alimenti copiâ aggravantur, tum ipse sanguis ob vasa supra modum impleta turgescens obicem sibi ponit, & cursu impedito aliquantulùm subsistit & reprimitur. Quare quibus ob nimiam & crebram ingluviem, venæ succo nutritio semper plenæ ac turgidæ existunt, eorum sanguis non modò crudus & fæculentus evadit, verum eundem necesse est in motu suo retardari adeoq; superfluitates plurimas congerere, quæ postea sensim in fermenta & miasmata morbifica evehuntur. E contra, si plenioris nutricatûs materia

materia subducitur, sanguis vetus ejusq; recrementa quævis multo liberiùs moventur: quapropter jejunia & exercitia, non eo tantùm nomine saluti conferunt, quia sanguinis arterioſi transpirationem promovent, sed quatenus totam cruoris venoſi massam circulationi liberiori reddunt.

Tertio Alter sanguinis venoſi *reditus*, sive *tributum* est *latex seroſus* à liquore arterioſo, nervoſoq; in glandulis & emunctoriis depoſitus, qui exinde in venas traductus, cruoris in iis contenti rivum nonnihil adauget; ſi quando enim arteriæ nimio sanguine turgeſcunt, aut nervi ſucco irriguo ſupra modum implentur, utraq; vasa ſerum ſuperfluum in proxima emunctoria, aut interdum in partes ſolidas deponunt: Cujuſmodi lympha, cum non prorſus vapida & effœta ſit, inſtar lotii ad renes dejecti, è glandulis iſtis per lymphæductus, primò in commune chyli receptaculum

lum hinc in ſanguinem venoſum reducitur. Cæterùm in quibuſdam cachecticis latex iſte aquoſus, non modò in glandulis, verum in membranis, muſculis, viſceribus, & ferè in nullâ non parte copiosè aggeritur ; qui poſtea dein ob plenitudinem ſuam, aut à partium continentium irritatione commotus, fluorem concipit, atq; ſimul ab omnibus ſuis quaſi cellulis exundans, in ſanguinem venoſum refunditur, qui propterea illuvie ſerosâ turgeſcens, & præcordia atq; arterias pervadens, in iis efferveſcentiam quaſi febrilem, ſed levem concitat : brevi tamen illuvies iſta ſeroſa à ſanguine arterioſo excuſſa, partim in cerebrum & nervoſum genus deponitur, unde ſtatim affectiones cephalicæ aut convulſivæ ſuccedunt ; partim in renes delata uriam limpidam & valde copioſam efficit : Sæpius obſervavi in hypochondriacis, & hyſtericis, aliiſq; convulſivis affectibus, urgente paroxyſmo,

roxysmo, modò circa initium, modò circa finem Urinæ limpidæ copiam immensam supra quadruplum liquoris ingesti Excretam fuisse. Cujusmodi Urina non à sero cum sanguine sæpius circulato procedit, quoniam prorsus limpida & incocta est, sed potiùs ex latice extravasato (sc. à nervis & arteriis priùs rejecto) & dein ob fluorem in sanguinem venosum resorpto constat: Deniq; ab eodem latice intra massam sanguineam efferveſcente, & illinc in cerebrum & nervorum principia irruente pleriq; affectionum Spasmodicarum insultus excitantur.

Quartò Sanguis venosus non modò humores utiles & benignos, sed interdum inutiles, & ab Oeconomiâ animali priùs repudiatos in se allicit, & damno suo amplectitur, quippe non rarò accidit humores extravasatos & in superficiem corporis protrusos, quinimo & miasmata heterogenea, & præternaturalia circa cutim defixa,

fixa, intus à ſanguine venoſo reſumi; quæ primò tantùm in ipſo fermentationem leviorem imprimunt, dein contagium ſuum latè explicant & per utrumq; ſanguinem diffundunt; adeóq; morbos diverſimodos & valde periculoſos inducunt; namq; hoc ritu, ſc. per contagium, febres malignæ, variolæ, morbilli, lues peſtilentialis, imò & venerea, item ſcabies, pruritus, & plures alii cutanei affectus excitari ſolent; Deniq; probabile eſt ipſius aeris ambientis particulas per poros cutis intus admitti, & ſanguini venoſo fermentationis vim quandam imprimere.

Hactenus de ſanguinis venoſi contentis, quæ, cum multiplicia & diverſimodæ indolis ac naturæ fuerint, liquorem non ſimplicem, verùm ex variis corpuſculis imò & humoribus (non iſtis tamen quorum *Meara* patronus eſt) conflatum conſtituunt. Nimirum adſunt particulæ quædam inflam-

mabiles, quibus conservatur intra cordis sinus ignis vitalis; quædam nutritiæ, ex quibus alimentum in singulas partes erogantur; aliæq; subtiles & spirituosæ, è quibus spiritus animales generantur; aliæ serosæ ac salinæ quæ prioribus vehiculo existunt. Postremò aliæ merè excrementitiæ quæ invitâ naturâ sese insinuant, &, ni denuò statim exterminentur, morbificæ evadunt. Verum sanguis venosus multa licet accipiat, nihil impendit, nec quicquam præter unicum bilis excrementum secernit, totam præterea thesauri sui vim dextro cordis ventriculo infundit, quam illico arteriæ (quæ publicæ distributionis munus sustinent) exinde suscipiunt ac in necessarios corporis usus erogant. Nimirum sanguis venosus in liquorem prædictis muniis idoneum transiturus, primò in corde accendi debet, ut hinc calor vitalis in omnes microcosmi regiones sese quaquaversùs diffunderet,

diffunderet, ut ſuccus nutritius, alioqui crudus in cordis foco, velut ab igne culinari, in alimentum ſingulis partibus adponendum excoquatur; ut particulæ ſpirituoſæ & tenues à craſſioribus expeditæ & in ſpiritus animales quaſi diſtillatione quâdam exaltentur; Deniq; propter diverſa hæc munera ſanguine arterioſo varias partes permeante particulæ ſeroſæ, quæ aliis pro vehiculo fuêre, à reliquis per calorem ſecretæ, foràs amandentur, quin & aliæ particulæ merè excrementitiæ variis modis eliminentur. Quo ritu ſanguis in corde accenditur, in capite ſequenti, ubi cum *Meara* de igne Carteſiano agendum eſt, manifeſtò declarabitur; interim in prædictos uſus, quos ſanguis arterioſus inter deflagrandum præſtat, inquirere oportebit.

Itaq; primus & maximè inſignis ſanguinis in corde accenſi uſus eſt, calorem vitalem conſervare, eumq; in omnes totius corporis

partes diffundere; Neq; enim ipſa vita quicquam aliud eſt, quàm ſanguinis in corde accenſio, ejuſq; intra arterias deflagratio: Hinc animæ brutorum hypoſtaſis, ejuſq; in corpore animato ſubſiſtentia, nexus & operatio dependent. Quinimò hæc caloris diſpenſatio in Oeconomiâ animali tam magni momenti, & tam neceſſaria eſt, ut flammæ vitalis pabulo deficiente, humores utiliſſimi, ſc. non modò ſuccus nutritius aliquando totus, verum & liquor nervoſus, & nutrimentum quoq; ſolidis partibus intertextum, huic impendantur: Quinimò ipſa caro & adeps, magnâ id cogente penuriâ, reſolvuntur, & à ſanguine reſorpta, ad cordis focum lari vitali immolantur.

Secundus Atq; iſte valde neceſſarius uſus, quem ſanguis arterioſus inter deflagrandum præſtat, eſt ſucci nutritii coctio, ejuſq; ad ſingulas partes appoſitio: Enimvero liquor iſte ex ſe crudus, &

aquo-

aquoſus, à ſanguinis flagrantis æſtu, velut in Gelatinam quandam excoquitur, ſimulq; particulis aquoſis, quæ per calorem evaporantur, liberatus, partium ſolidarum poris & meatibus inſeritur, adeoq; juxta cujuſq; partis indolem in nutrimentum ei proprium faceſſit, & ſenſim aſſimilatur. Quocirca ſiquando ſanguinis flamma debilior ſit, quam ut recentem ſucci alibilis penum ritè percoquat, atq; ab humore ſeroſo ſatis liberet, interrupto nutritionis opere, atrophia aut cacochymia inducitur; ſin eadem ſanguinis flamma ſupra modum ita intendatur, ut liquor nutritius nimiùm aſſetur, ac ferè totus evaporet, Maraſmus, uti fit in febre Hecticâ, continuò hunc calorem excipit.

Tertio Alter inſignis uſus, cui ſanguis ratione accenſionis ſuæ inſervit, eſt, liquoris ſpirituoſi propter functionis animalis exercitia & actus deſtillatio; profectò ſanguis accenſus, ſiquidèm intra

vasa tecta & canales minimè patentes deflagrat, particulas spirituosas ita à calore agitatas & solutas adeóq; ad avolandum paratas haud tenues in auras exhalat, verùm eas velut alembico coercitas, in spirituum animalium organa iisdem excipiendis adaptata extillat. Sed neq; unius generis est liquor iste spirituosus, nec in unicam solummodo partem deponitur; videtur enim quod à sanguine, per accensionem rarefacto, particulæ quædam spirituosalinæ, aliæq; nitrosulphureæ abscedunt; quarum aliæ spirituum animalium generationi, aliæ eorundem exercitio inserviunt: Quæ prioris generis sunt, potissimùm & maximâ ex parte è sanguine capitis regionem perluente, in cerebrum & cerebellum extillantur, ibidemq; in spiritus animales convertuntur: Porrò ejusmodi pauciores quædam particulæ spirituosalinæ à sanguine arterioso etiam in corpora spermatica deponuntur,

in

in ſemen ſive humorem genitalem mutandæ. Cæterùm præter has particulas ſpirituoſalinas, etiam aliæ nitroſulphureæ in functionum animalium adminiſtrationes ſepoſitæ, atque è ſanguine ubiq; flagrante in fibras & partes totius corporis nervoſas derivatæ ſpiritibus cohærent, iiſq; vim elaſticam ſive impetum motivum impertiunt. Super his conſulatur *Doctiſſimus Williſius* lib. de cerebr. Anatom.

4. Præter hujuſmodi neceſſarias ſanguinis arterioſi impenſas, plures aliæ minùs utiles particulæ, quæ nempè prioribus pro vehiculo ſunt, eodem deflagrante abſcedunt; & partìm evaporant, partìm per varia emunctoria amandantur; nimirùm plurima effluvia per pulmones, & poros cutis exhalant; liquor ſeroſus, qui prorſus effœtus eſt, per renes excernitur; qui ſucci utilioris aliquid continet, in glandulas deponitur, ut illinc in maſſam ſanguineam

guineam reduci poterit; ſanguinis fæx atra, ceu caput mortuum, in lienem deponitur; quod deniq; poſt hujuſmodi varias impenſas, ſanguinis arterioſi ſupereſt, in venas quaſi in commune gazophylacium refunditur, ubi ut recondi & lampadis ſepoſitæ inſtar in novam accenſionem reſervari poſſit, flammâ penitùs extinctâ, donec ſucco nutritio recenti aliiſq; humoribus perfuſus, rurſus cordi advenit, ac de novo accenditur.

Huc uſq; de ſanguinis utriuſq; naturâ & contentis ſatis prolixè egimus, & analyſin ipſius, nec non munera & uſus ex Phænomenis ſenſui noſtro ſatis obviis deduximus. Adhuc reſtat ut experimentis ſupra traditis (nempè quo ſanguis juxta *Harveium* partim ſimilaris partim diſſimilaris conſtitutionis eſſe deprehenditur) rationem ſubjungerem, verùm hanc, quoniam à ſanguinis in corde accenſione plurimum dependet, utì &

alia

alia quædam ad ſanguinis naturam ſpectantia paulò inferiùs, ubi de ſanguinis incendio ſive flammâ dicetur, adjiciemus. Nunc ad *Mearam* redeo, ipſius alias in *Williſum* cavillationes diſcuſſurus.

CAP. VII.

Sanguinis calor per accenſionem à cordis igne, aut fermento rectè exprimitur, contra Mearam.

SUb initio hujus capitis vir Egregius, non ſine causâ, *Williſo* indignatur, nimirùm quia *effervescentiæ, & orgaſmi febrilis cauſas deducat, non à ſanguinis heterogeneitate, nec à primarum qualitatum pugnâ* (quod facile fuerat & Ipſi facere, & *Mearæ* intelligere) *ſed à* δυσνοήτοις *ignis Carteſiani, & fermenti Hogelandici vocabulis*; namq;

namq; hæc craſſæ ejus Minervæ, hebetioriq; intellectui, *altam caliginem, & ſpiſſiores adhuc tenebras offundunt.* At verò Ipſe longè faciliùs, & ad vulgi captum rem totam expedivit, agnoſcendo *duplicem in vivente calorem, nativum unum, alterum igneum, quorum ille, unà cum benignis ſpiritûs inſiti radiis, omnia fovet, vivificat, conſervat, unde Aethereus, ac cœleſtis audire meruit; igneus è contra eosdem deſtruit, devaſtat, atq; ut aliorum malorum, ita febrilis ἀταξίας origo eſt & radix.* An riſum teneatis amici? Profectò hi duo calores videntur tanquam bini *Manicheorum* Genii in homine cohabitantes, quorum cùm priorem *cœleſtem* dixerit, miror eum non appellâſſe alterum *infernalem*; nam & ipſa ſuadebat Antitheſeos concinnitas, tum & hoc unum deerat ad complendam analogiam inter Micro & Macrocoſmum; ſed oſtendere debuiſſet quis igneus iſtius caloris focus eſt, ac ubinam

p. 97.

deli-

deliteſcit; cùm interdum deſiſtat, & non perpetuò febrem ſuſcitet. Hoc alii determinent, ſatis ſit *Mearæ* cum *viris Naturæ conſultiſſimis* rem nudè aſſeruiſſe: Cæterùm inter viros iſtos qui naturæ à ſecretis ſunt, *Carteſius, quia calores duos confundit*, haud quaquam cenſebitur. Hunc *Meara fœminis Aulicis, & ingeniis aliorum minùs ſolidis aliquam eruditionis umbram venditâſſe* ait. Eſt hoc quidem, *Meara*, nè quid dicam graviùs, infælicis, & malè ambitioſi ingenii, deprimere ea, ad quæ Ipſe non aſſurgas; & quò propriam inſcitiam diſſimules, quæ non intelligis, ſecurè contemnere: Sed *Carteſii* non ſolùm ſcripta, ſed nomen etiam, & fama longè ſupra Te ſunt; utque illa animum non ſubeunt prædicabilibus adhuc inhærentem, ita neq; hæc ſtylum metuunt muſcis confodiendis natum.

Maxima interim *Williſio* procella impendet, quia *calidum innatum*

natum modò per ignem in Cordis foco reconditum, paulò post in eodem halitu per fermentum expressit. At te subdidisse oportuit cujusmodi fermentum *Willisius* intellexerit, nempe quale *Hogelandus* innuit, & cujus effectus cernitur in effervescentiâ quæ à spiritu nitri, ac butyro Antimonii invicem commixtis excitatur; hoc autem more tuo dolosè celâsti, & statim regeris *quæ tanta ignis intercedit*
p. 98. *cognatio cum fermento in quo acidi-tas frigoris soboles maximè elucet?* nullamnè igitur fermentationem admittis nisi ab acidis, idq; frigore præpollente. Certè vina generosa in cadis ebullientia nihil acidum spirant, & tamen caloris plurimi indicia satis manifesta exhibent; quinimò fermentatio ista liquorum mineralium, cui *Willisius* sanguinis in corde effervescentiam comparat, fermenti ignei soboles existit; quod Tu in calce hujus capitis (quoniam idem eo in loco asserere tuo intererat) planè confiteris. Nihil-

Nihilominus quia *olim* Hippocrates *prodidit aceto nigra fermentari*, idcirco *fermentationem tantùm ab aciditate, in quâ terrena ſiccitas, ſeu quod idem eſt, frigiditas dominium obtinet, provenire* contendis; quod ut faciliùs probes, optimo uteris compendio. H. e. quod tibi placitum eſt, nudè affirmare, & quicquid ab aliis in contrarium allegatur, fortiter negare; ideò quaſcunq; corporum naturalium turgeſcentias, in quibus caloris prædominantis effectus perſpicuè cernitur dicis fermentationes non eſſe, & *Guntero Billichio* ſuccenſes, quod *calcis vivæ incendium, ut butyri Antimonii affuſo ſpiritu nitri, vivum, ait, eſſe fermentationis exemplum, cùm ejusmodi fervoris cauſa meliùs per Antiperiſtaſin explicari potuit.* Ipſe autem iſtiuſmodi fervores, & agitationes, in quibus tamen idem particularum turgentium motus, idem inteſtinus impetus, qui in ζυμώσει panis, cereviſiæ, vini deprehenditur, p. 98. p. 100.

ne

ne fermentationis sobolem esse concedas, illos refers *non in fugam*
p. 101. *quidem sed in pugnam contrariarum qualitatum*, licèt mox eodem ferè halitu, relictâ hypothesi Tuâ, juxta *Willisii* mentem, & notiones in tractatu de fermentatione expressas rem totam explices; nimirum innuis *particulas igneas in calce vivâ superstites, affluentem confertim humorem aggredi, atq; in transitu suo aquam calfacere*: Non sapit hoc philosophiam Mearanam, ut supponatur ignis actualis alicubi, nempe in calce subsistere, ubi nec forma ignis, nec propria passio ejus, sc: calor actu reperiuntur. Non possum hìc non advertere quoddam *Mearæ* callidum quidèm, sed pertenue, & fallax illud in tractandâ causâ suâ artificium. In principio hujus capitis uno cum *Willisio* res erat procedente lite, cum jam cominùs de fermentatione agendum erat, evitato *Willisio*, *Pincierum*, & *Billichium* aggreditur, licèt eadem

eadem exempla, nempe calcis vivæ incendium, ſalium mineralium invicem commiſſorum effervescentia, & aliæ inſtantiæ, ob quas in *Billichium* invehitur, in *Williſio* occurrunt, & ſatis fusè explicata, fermentationi aſcribuntur; attamen hìc contra illum nè verbum quidem; nempe hoc in loco *Meara* plagiarius è diatribâ *Williſii*, calcis vivæ, aliorumq; quorundam phænomenon ſolutiones acceperat; tum præterea, quia in diſquiſitionibus ſuis de fermentatione experimenta chymica dem *Williſius* paſſim inſeruerat, quæ Ormonienſis nondum capit; novus quærendus hoſtis, aliò ransferenda pugna, ni cum maitiâ, ſimul velit & inſcitiam prolere. Quod ſpectat ad ignem n cordis foco reconditum, & anguinem ab eo accenſum, quicquid refragratur Meara, hæc ſententia virorum doctiſſimorum, ſc: *Harvei*, *Entii*, *Carteſii*, *Williſii*; liorumq; ſuffragiis comproba-

tur; eademq; à nupero experimento, quo ostenditur sanguinis venosi, arteriosiq; discrimen, plurimùm illustratur. Itaq; liceat vel mihi super hâc re pauca quædam advertere.

Digressio de sanguinis in cordè fermentatione, accensioneque.

CAlidum innatum (quicquid per illud intelligit *Meara*) ad exprimenda vitæ munia non sufficere, vel hinc constat, quòd animalia quædam aquatilia, calore quovis actuali destituantur, quibus tamen cor pulsat, sanguis circulatur, aliaq; functionis vitalis officia obeuntur; in calidioribus autem animalibus sanguis, dum cordis ventriculos pertransit, non incalescat tantùm, sed ferveat potiùs, ebulliat, & rarefactus, quasi in flammam erumpat. Nam cùm animalium omnium sanguis non constet eâdem elementorum crasi, proindeq; nec eodem ritu in

in corde fermenteſcat, quid ni vis impreſſa ſanguini, qui actu frigidus eſt, per *fermentationem*; ac alteri qui calidus eſt per *accenſionem* optimè exprimatur? Ac in Piſcibus quidèm, aliiſq; id genus animalibus frigidioris temperaturæ, manifeſtum eſt eorum ſanguinem minimè inflammabilem, minori particularum turgeſcentiâ in corde alterari; & proinde nullis pulmonum ſpiraculis, & unico tantùm cordis ventriculo opus habere: at verò quorum ſanguis plurimo ſulphure, & particulis valde inflammabilibus conſtat, dum cordis ſinus pertranſit, à fermento nitroſulphureo iis inſito valde actuatur, rarefit, & quaſi inflammatur. Profectò corpora naturalia cum particulis fermentativis paulò acriùs commotis, ſubitò reſolvuntur, non rarò ignem immò flammam actualem concipere *Williſius* in lib. de ferment. clarè oſtendit. Nec minùs arguere licet de ſanguine ab effectis,

quæ in ipſo è corde in arterias proſiliente prorsùs eadem apparent; Nimirum è corde, velut flamma ab ignito fomite emanans, illicò ſpiracula aperta, ſc: pulmones requirit à quibus non tantùm fuligines, quæ flammam recèns accenſam ſuffocare poterint, amandentur, verùm ut ſanguis etiam inter tranſeundum aëris pabulo nitroſo imprægnetur, Quippe in binos hos uſus pulmones calidioribus animalibus concedi putamus; tum prætereà ut ſanguis, dum ipſorum vaſa pertranſit, perfectiùs miſceatur: quare & piſcibus aliquid pulmonibus analogum, eandem hanc ob cauſam, tribuitur. Porrò ſanguinis maſſa, quia dextrum cordis ventriculum ſubiens, crudo adhuc, & recenti chylo imbuitur, tanquam lignum viride, non ſine fumo, & vaporibus fuliginoſis parciùs inflammatur; ideóq; ut iſti protinus exhalentur, apertiora pulmonum ſpiracula incurrit, in quibus tanquam

quam carbo ustulatus, ubi paululum deflagraverit, mox intra sinistrum cordis ventriculum in flammam admodùm claram, & velut candescentem accensus, exinde nullo suffocationis periculo longos arteriarum ductus trajicit. Profectò sanguinem, dum arterias permeat, esse velut ignem in flammas accensum, cumq; per venas reducitur, velut titionem semiextinctum marcescere, superioribus experimentis concludi videtur, siquidèm in vivo animali, arteriâ pertusâ, sanguis omnis eductus per totum rutilat & quasi igneſcit, è venâ autem si paritèr excipiatur, cremor tantùm superficie tenùs rutilat, reliquâ præterea massâ versus atram degenerante; probabili satis indicio, sanguinem intra venas traductum, instar carbonis non dum penitùs accensi apparere, in quo ignis aliquid exteriùs splendet, intùs ac in profundo omnia nigricant. Verùm observatu dignum est, & hic objici

jici poteſt, ſanguinem è vaſis pulmonaribus tum venis tum arteriis eductum utrumque ferè eundem apparere, neutrum autem veluti arterioſum in reliquo corpore rutilare. Sed in promptu eſt referre ſanguinem in pulmonibus utrumque venoſo ſimilem videri, quia nondum in utroque cordis ventriculo accenſus, imperfectiùs adhuc miſceatur ac inflammetur; eò quòd in ſiniſtro ſinu ſanguinis tum accenſio tum mixtura, ut ſupra obſervatum, præcipuè perficiatur, ut ex objectione iſtâ clariùs adhuc pateat diſcrimen coloris & conſiſtentiæ in ſanguine à cordis flammulâ ſeu fermento dependere.

Quòd ſi ulteriùs objiciatur ſanguinem haud propriè accendi, quia non ignis communis ritu aut candeſcit, aut flammam viſibilem concipit, nec etiam corpus ſubjectum cui ineſt, aliave admota conſumit; referri poteſt ignem in aperto ardentem ſemper ferè calore,

re, aut flammâ ſplendeſcere, qui tamen ſi in clauſo reverberio, ac intra ſecretos canales cohibeatur obſcuriùs gliſcit, & ſalvâ ignis eſſentiâ prædictis accidentibus utriſque carere poteſt: Ita enim intra fornacem calor pro opere deſtillatorio ſatis intenſus viget, licèt ipſa ignis, aut flammæ forma non niſi ſpiraculis recluſis appareat, & tunc primùm incipere, & emicare videatur; atq; hæc quidèm ab effectu, reſolutâ mixti compage, præextitiſſe colligimus, verùm quia prohibitâ eventilatione particulæ ſulphureæ inter avolandum tot ſimul agglomerari nequeunt, quæ flammam viſibilem conſtituant, nondùm percipiuntur. Deinde cùm ignis in ſubjecto humido extiterit, corpus totum non deſtruit, nec alia admota facilè accendit, utì conſtat in ſpiritu vini accenſo, qui laticem ſeroſum intactum relinquit. De ſanguine paritèr dicendum eſt, in eo non omnes, ſed pauciores tan-

tùm particulas inflammabiles eſſe, eaſq; ſolummodò in cordis foco accendi, unde in arterias continuò evolantes, conſtanti tum calore, tum particularum agitatione actuantur; non ſecùs ac tenuior vini ſpiritus, qui in vaſe accenſus, haud diutiùs ardet, quàm caleſcit, & rudiculâ agitatur. Profectò, ut mihi videtur, ſpiritus vini in hydraulici centro excalfactus, & accenſus, per ſecretos ejus ductus flammâ inconſpicuâ flagrans, tacitoq; incendio fluens, ipſius ſanguinis accenſionem, & motum quadantenùs imitatur.

Clariſſimus *Harveius* ſanguinem Cordi velut oleum Ellychnio inſtillari ſtatuit; Nos autem quo id paulò fuſiùs explicemus eaſdem prorsùs conditiones Lampadi vulgari, & Cordi, ſeu Biolychnio tum requiri, tum adeſſe oſtendemus: Nam primò ut in illâ, neceſſe eſt materiam inflammabilem debito mòdo ſuppeditari.

Secun-

Secundò Ellychnium ritè conſtitutum eâm recipere, & accendere. Tertiò flammam accenſam eventilari. Ita in hoc non minùs requiritur. Primò ut ipſe ſanguis ſeu materia inflammabilis uſq; debitâ quantitate, ac craſi idoneâ ſuggeratur. Secundo ut cordis conſtitutio quoad fermentum ipſius inſitum, atq; ſpiritus animales influos rectè habeat. Tertio deniq; ut flamma accenſa eventiletur, particulis utilibus in munera ipſis deſtinata impenſis, inutilibus autem, nempe fuligine, & recrementis continuò amandatis.

Primò Quod materiam inflammabilem, ſeu ſanguinem attinet, requiritur tum ut debitâ quantitate influat, tum etiam ut debitâ temperie conſtet. Quantitas ejus interdum imminuitur, ac deficit, nempe poſt longas ægritudines, liquore ſanguineo propter nimias efferveſcentias nimiùm abſumpto, item poſt ingentes hæmorrhagias,

rhagias, & aliquando à gaudio repentino, sanguine in exteriores partes à præcordiis avocato: Nonnunquàm ejusdem quantitas ultra modum augetur, & impetuosè nimis affluit, idq; varias ob causas evenire solet; nam à passione quâvis vehementi, tristitiâ, dolore, indignatione, &c. Cordis focus obruitur; item à nimio exercitio, & motu corporis citatiori, præsertim in cachecticis; quibus, si cruor, ob vasa à musculis agitatis compressa, in cordis sinum uberiùs urgetur quàm illic ritè accendi, & statim in pulmones exantlari potest, deliquia, & interdum mors repentina succedunt. Porrò sanguis venosus, si à miasmate febrili, aut aliâ quâcunq; occasione effervescentias immodicas concipit, ipse in cordis sinum exundans, pulsu, & calore auctis, indebito modo accenditur. Quoad temperiem ut sanguis, velut oleum maturum, & defæcatum ad ellychnium accedens,

dens, intra cordis ſinus rectè accendatur, idoneâ elementorum craſi, & benè proportionatâ humorum mixturâ conſtare debet; qui ſi debito inflammabilior exiſtit, à ſulphure exaltato ſæpe totus in flammam prorumpit, ac incendio immodico gliſcens, febrem accerſit: ex alterâ parte ſanguis interdum crudus, & aquoſus evadit, ut tardè admodùm & minutìm, inſtar fæni madidi, in corde inflammetur: Atq; hìnc ad motum quemvis anheloſi, & dyſpnæi evadimus; quia ſc: ab exercitio quovis ſanguis uberiùs in cor urgetur, quàm illìc protinùs accendi, & foràs exilire poterit: unde pulmones incitati crebriùs reſpirant, ut ſanguis in corde ſtagnans, eiq; ſuffocationem minatus exantletur. Interdum ſanguis ſale fixo, & fæculentiis ſcorbuticis refertus abruptè admodùm, & inæqualitèr in corde deflagrat; Nonnunquam accidit ſanguinis mixtionem à veneno, narcoticis, aut morbis malignis

lignis ita perverti, ut coaguletur, adeóq; interruptâ circulatione ſiſtatur, & flamma cordis, ſive ignis vitalis, non ſecùs ac culinaris ſulphure aſperſo, à miaſmate maligno extinguatur.

Secundò. Ut ſanguinis, velut lampadis, flamma vitalis perennetur, ipſius cordis uti ellychnii recta diatheſis requiritur; nimirùm ut nativa ejus conſtitutio ſit firma, & valida, adeò ut fermento inſito, tanquam foco vitali ſemper vegeto, ac vivaci, ſanguis irruens protinus inflammetur: porrò ut cor ipſum fibris chordiſque validiſſimis inſtructum, ſe cum vigore fortitèr contrahat, adeóque ſanguinem impetuosè in arterias explodat: quinimò ad hoc præterea opus eſt, ut ſpiritus animales per nervos ab ἐγκεφάλῳ derivati conſtanti, ac uberi influxu cordis fibras actuent, ac inſpirent; quorum ope nobiliſſimus hic muſculus ſyſtoles, ac diaſtoles motus indiſcontinuos peragat.

Ter-

Tertiò. Sanguis accenſus, velut flamma expanſa eventilationem requirit; quæ ut ritè peragatur, his duobus opus eſt; ſc. tum ut aëris particulæ ad ſanguinem attemperandum convehantur, tum ut ſanguinis flagrantis recrementa fuliginoſa cum iiſdem aëris particulis denuò redditis foràs evaporent: Propter binos hos uſus pulmones, qui ſanguinis flagrantis ſpiracula ſunt, duplici inſtruuntur motu, ſc. inſpiratione, quâ quidèm aër intromittitur, qui ſanguini ebullienti occurrens, ipſum refrigerat, ac uti nonnulli opinantur, velut pabulo nitroſo eum refocillat; atque exſpiratione, quâ iſtius aëris reliquiæ, unà cum effluviis à ſanguine vaporoſis foràs exhalant. Quantum aër inſpiratus vitali cordis igni perennando conducit, hoc experimento planè conſtat. In vivorum animalium diſſectione, poſtquam cruore effuſo cordis motus penitùs ceſſavit, ſi per tubulum vaſis chyliferis,

ris, aut venæ cavæ adaptatum aër insuffletur, cordis motus denuò redintegratus aliquandiu perstat: Cujus effectûs hæc causa esse videtur, nempe quòd in animalibus moribundis, aut modò demortuis quædam reliquiæ ignis vitalis etiamnum in corde superstant, quæ cessante pulmonum motu, quia refici, aut excitari nequeunt, velut scintillæ cineribus suppositæ sensim pereunt. Verùm si aër venæ cavæ, aut ductui chylifero insufflatur, ejusq; particulæ quædam ad hunc ignem intra cordis sinum delitescentem accedant, ipsum postliminiò exuscitant, & sopitum de novo ἀναζωπυροῦσι, ita ut spiritus animales cordis fibris insiti recenti hoc vigore recreati, motum suum quantum possibile est redintegrent, atque pulsum instaurent. Porrò ut sanguinis in dextro cordis sinu accensi spiracula sunt pulmones, ita ejusdem in sinistro cordis sinu accensi fuligines aliæ arteriolarum osculis per poros, & meatus

meatus cutis evaporant: Atque horum corporis ſpiraculorum, ſi utrumvis penitùs occludatur, vita, ſicut flamma in vaſe, intercepto aëre ſuffocatur, & perit: Deniq; non minus malum ingruit quando vice aëris puri, & nitroſi vapores narcotici, aut venenati intro hauriuntur, ita namq; à carbonibus recens accenſis, ac à fodinis metallicis interdum flamma vitalis, ut culinaris à ſulphure, derepentè extinguitur.

Cauſa interpolationis febrium à Williſio *aſſignata contra* Mearam *aſſeritur.*

QUo ſucceſſu pergit *Meara*, ſi ex omine conjiciamus, malum eſt quod ſtatim primo in veſtibulo *circulari ſanguinis motui* velut ſcandalo in viâ poſito impingens tam graviter ceſpitat, ut vix ſe à lapſu recolligens, adhuc vacil-

vacillet ac dubius hæreat an *aliquem ejusmodi circuitum par sit agnoscere.* Nonne videtur hic febrium causas optimè traditurus, qui totius παθολογίας lapidem ἀκρογωνιαῖον convellit?

p. 105.

Verùm ut dubium hoc, donec *Meara* de circulatione sanguinis certior fiat, in aliud tempus differatur; illi interea compertum est, *in statu morboso sanguinem impurum per vasorum minorum angustias transcolandum suis sibi sordibus transitum præcludere, ibiq; restitantem stato tempore putrescere ac accendi*, ideoq; *viderit* Willisius *quo jure hujusmodi ab impuris succis infarctum viscerum parenchymatis deneget.* Attamen assignare debuerat *Meara* in quo viscere, utrum in hepate, liene, pulmonibus, aut quonam alio, *talis ab impuro sanguine parenchymatis infarctus fieri solet.* Credo illum *stomachi* & *mesenterii membranas* etiam parenchymata appellare, nam in illis mineram suam febrilem sæpe col-

collocat. Verùm enimverò ut daretur illi *ſanguinem impurum quandoq; intra viſcerum anguſtias inferciri*, ſi tamen iſte ſanguis ibidem putreſcens accendatur, & in paroxyſmo febrili foràs ebulliat, annon à tali accenſione & effervescentiâ viſceris pori aperientur adeò, & dilatabuntur, ut poſtea ſanguis utcunq; impurus, eos ſine infarctu quovis liberè pertranſeat? ita ut cauſa febris, ſc. viſceris cujuſdam obſtructio unico paroxyſmo expediatur. Quòd ſi majorem ſanguinis impuri copiam, quàm ut totus in paroxyſmo febrili penitùs difflari poſſit, alicubi aggeſtam arguas; certè talis materiæ morbificæ nidus nec fieri nec durare (ut *Williſius* innuit) citra viſceris affecti tumorem aut abſceſſum poteſt.

Væ tamen *Williſio* ſi negat viſcerum tumores in febribus intermittentibus ſæpenumerò contingere; Objicit *Meara* id *eum in libris non vidiſſe, quia videre noluit.*

it. At in *vivis* ſpirantibuſq; *exemplis ejuſmodi tumores ſicut (Ague-Cakes) vidiſſe proculdubiò & manibus palpâſſe potuiſſe.* Certè pluſquam *Lyncei* oculis opus erat, ut quiſquam vivi hominis interna viſcera viſu penetret, cæterùm *Williſius* ut tumores iſtos videret non ſolùm *viva & ſpirantia exempla, ſed & mortua conſuluiſſe debuit.* Credo te cadaverum ab aliis diſſecandorum copiam habuiſſe (nè dicam feciſſe) interim ipſe tumores iſtos non autopſiâ anatomicâ ſed ex probatorum Authorum fide in cadaveribus inventos citâſti.

Sed quàm frivola & inanis hæc tua in *Williſium* cavillatio eſt, quaſi neſciret aut negaret ejuſmodi tumores interdum in febribus intermittentibus accidere; Cùm tamen ille ſuper hoc lib. de febr. cap. 5. in expreſſa verba ita diſſerit; *Quinetiam hæc febris ſi diuturnior fuerit, aut morbo alii chronico ſupervenerit, præter ſanguinis labem,*

labem, ſæpiſſimè adjunctas habet viſcerum infirmitates: nimirùm ſanguis labefactus impuritates ſuas ſenſim congeſtas viſceribus, dum eorum anfractus pertranſit, facilè affigit: (hinc in febre quotidianâ ventriculi aggravatio, hypochondriorum tenſio, modò hepatis modò lienis aut meſenterii obſtructiones, aut tumores conjunguntur,) ſunt autem hujuſmodi affectus non cauſa febris (uti vulgò creditum) ſed tantùm ejus producta. Quid apertiùs aut perſpicuè magis à quoquam dici poteſt? Sanè optandum eſſet, ut libros, quos refutandos ſuſcipis, licèt non intelligis, ſaltem perlegere digneris; neq; verba Authorum prætereas, qui eorum mentem nuſquam aſſequeris. Interim ſatis conſtat *Williſium* tumores iſtos noviſſe, ſed cùm ſint febris diuturnioris ac à Medico malè tractatæ effectus, & graves in praxi errores plerunq; conſequantur, concedo tibi *Meara* ut multò frequentiùs obſervaveris in tuâ.

At verò tumores iſti ſi febrium intermittentium cauſa ſint, quid tunc quatuor humores agent? neſcio quomodo inter hos & illos iſtius morbi penſum divides, nam proximis ferè verbis *Williſium* increpas, quòd negat *humores ſincer-*
p. 107. *ros in primâ ſaltem regione dari*, quod tamen ab illo minimè factum eſt; nam bilem in cyſti felleâ, inſuper hanc & pituitam in ventriculo & inteſtinis reperiri, & fœculentias atratas in lienem deponi aſſerit: Sed quâ fide *Williſium* modò tumores, eâdem nunc & humores excrementitios negare eum fingis. Profectò ille utroſq; in febribus concedit, ſed neutrum ex iſtis febris cauſam eſſe contendit; quam dyſcraſiæ ſanguinis ſucci nutritii penum in materiam degenerem pervertenti rectiùs aſcribit; & ſententiam ſuam pluribus argumentis, firmiſq; rationibus ſtabilivit; ex his nonnulla *Meara* refutanda ſuſcepit, tum pro ſuâ contraria hypotheſi aſtruendâ rati-

rationum umbras quasdam protulit; libet hìc primò ejus in *Willisium* redargutiones, dein propriæ sententiæ assertiones particulatìm expendere.

Primò *Willisius* negat humores in privatâ quâdam minerâ congestos febris intermittentis causam esse, eò quòd non facile assignatu sit, quomodo tales humores sibi nidum alicubi conservant; necdum constat quo instinctu illi in focis reconditi, stata putrescentiæ, absumptionis & repullulationis tempora observent. Hìc regerit *Meara*, id se fateri quidèm, *sed necdum constitit quo instinctu Oceanus statas accessûs & recessûs periodos singulis duodecim horis aut muliebria purgamenta menstruum circuitum exactè observent.* p. 108. Hìc novo solutionis genere nodum unum solvis plures nectendo, An verò putas istorum effectuum causas prorsus latere, semperq; inextricabiles fore? De fluxu muliebri, vel mihi in promptu est con-

jecturam ſatis probabilem afferre: quoad fluxum & refluxum maris, ſi *Galilæum*, *Carteſium* aut *Gaſſendum* legeres, phænomenon iſtud longè melius ſolutum videres, quàm tu quicquam de febribus explicuiſti; quippe hoc quàm inane eſt quod dicis *humores non ni-*

p. 109. *ſi dum putreſcunt, paroxyſmos febriles inducere, eò autem opportuniores eſſe putredini, quò arctiùs in focis concluduntur, propter tranſpirationem prohibitam.* Nam infra oſtendemus humores in febre intermittente non omninò putreſcere; quinimò ſi putreſcerent, eos hoc nomine paroxyſmos non poſſe inducere.

Secundò. Primum hoc *Williſii* argumentum plura alia ejuſdem Authoris eaque inſignis momenti rectâ ſerie ſequuntur, quæ tamen *Meara*, quoniam quod ad ea reponeret nihil habuit, conſultò præteriit; Et tandem poſt 7 paginas paragraphen hanc, cui ſe parem exiſtimabat, unam invenit.

Pulſus

Pulſus in paroxyſmi initio rarus eſt & depreſſus, qui plus arguit calorem & ſpiritus vitales in ſanguine à materiâ quâdam crudâ & non facilè combuſtibili velut obrui; Ita *Williſius*. Sed fruſtra erit ſi quis ſolutionem à *Mearâ* expectaverit, ſufficit illi *hunc effectum*, ſicut multa alia febrium ſymptomata, aſcribere *vaporibus putridis tetriſque à materiâ febrili in viſcere aliquo hærente emiſſis & ſpiritus in corde obruentibus*, intra quos ductus & quâ viâ per tot viſcerum obices hi vapores ad cor feruntur, nunquam perpendit ille, ſed tanquam medicaſter circumforaneus obſtetricibus & mulierculis aut inſtruendis aut audiendis natus, accidentia, quorum cauſas ignorat, vaporibus imputat: Verùm hujuſmodi αἰτιολογίαν infra pleniùs ventilabimus; Interim *ex* Hippocrate *febrem putridam ex inguinis abſceſſu accenſam* citat, *unde nihil præter vaporem ad cor potuit tranſmitti*. Atqui ex quo ſanguinis

circulatio innotuit, quis hoc præter *Mearam*, cui adhuc ea penitùs ignota eſt, uſpiam affirmavit? quid enim perſpicuè magis liquet, quàm ſanguinem venoſum à parte affectâ reducem, ſordes illic depoſitas ſecum auferre, iiſq; cor & totam ſanguinis maſſam inficere, nec non eâ ratione efferveſcentiam febrilem excitare?

Tertiò. *Williſius* ex urinæ in febre tertianâ colore ſaturato & velut flammeo, etiam cùm deſint contenta, ſanguinis aſſationem & temperiem nimis aduſtam arguit. E contra autem *Meara illud inquinamentis retorridæ bilis è minerâ per vaſorum continuitatem irruentibus* attribuit, dicitq; *colorem illum ſaturatum non tam aſſationem ſanguinis indicare quàm tincturam ejus à bilis citrinæ portione è primis viis ad vaſa majora penetrantis*. Miror ego quibus ductibus bilem citrinam è primis viis ad vaſa majora penetrare ſupponit, nam chylo nè illàc tranſeat viam præcluſit;

cluſit; & nè miſceatur ſanguini, vaſorum quoq; Pecquetianorum uſum negavit; & tamen bili, quam penitùs excludi expedit, aditum quàm facilem invenit; ſed interim quî fit à bile è primis viis in ſanguinem penetrante, ut non icterus potiùs quàm febris excitaretur? quippe ab eo humore receptaculis & ductibus ſuis excluſo, proindeq; in ſanguinem regurgitante, hic morbus omninò oritur.

Quartò. Inſtat *Williſius* materiam febrilem in ipſo ſanguine progigni, & in eo, donec urgente paroxyſmo illinc diffletur, contineri; quoniam rubicundior & contentis ſaturatior eſt urina extra paroxyſmum; quo vigente, cùm materia ad circumferentiam corporis transfertur, laudabilior exiſtit. Huic regerit *Meara, Si in Paroxyſmi Tertianarii vigore urina laudabilis eſt, inde optimè colligi materiam febrilem nondum ſanguini miſceri, ſed in minerâ ſeu primis* p. 111.

mis viis hærere, donec ab incendio ex putredine concepto fundatur, & agitata in vaſa irrumpat. Hîc optimè, & prout virum *naturæ conſultiſſimum* decet, philoſopharis; at dic obſecro, ſi in vigore paroxyſmi materia febrilis nondùm ſanguini miſcetur, undenam & à quâ aliâ mixturâ ſanguis tantam effervescentiam concipere potuit, an hanc etiam vaporibus attribues? Quidni concedamus igitur (quod tu voles opinor) rem totam & integram vapores efficere; nam ſi in paroxyſmi ἀκμῇ materia febrilis nondùm attigit ſanguinem, quanto longiùs aberit in declinatione, inq; ipſis acceſſionum interſtitiis? Quare maneat in foco ſuo, unde nihil opus eſt cur exeat; neq; ſit, cur tu ampliùs ſollicitus ſis quo commeatu fiat illius in ſanguinem metatheſis.

Tandem à rebus ad vocabula, quibus plus vales, prudentèr & cautè divertis, atq; *Williſium* increpas *quòd maturitatis nomine contra*

contra communem philoſophorum acceptionem pro ſucco alibili degeneri, ac in materiam febrilem evecto exprimendo utatur. Certè nomeniſtud ſi non à philoſophis, ſaltem à medicis in eo ſenſu paſſim uſurpatur, cùm apud inſignes authores morborũ quorundã ſeminia hæreditario jure poſtea germinare & tandẽ in fructus maturari tradu&a, dicũtur. p. 112.

Quintò Arguit *Williſius* paroxyſmorum præludia, nempe cephalalgiam, vertiginem, oculorum coruſcationem, ſomnos inquietos &c. planè indicare ſanguinem prius materiâ fermenteſcente infe&um, eatenus verò differri paroxyſmum, donec ejuſmodi materia turgeſcat. At verò quid ſi oſtendat *Meara hæc ſymptomata ab aliâ cauſâ proficiſci, quo tunc evadet* Williſii *confidentia?* Hoc quidem ille nullo cum negotio poteſt, *dum affe&us iſtos in febribus, non ſecus ac in paſſione hyſtericâ, vertigine, epilepſiâ, melancholiâ hypochondriacâ, aliiſq; morbis*

morbis tantum à vaporibus excitari pronuntiat. Verum enim verò quid si ostendatur symptomata ista non omnino à vaporibus, sed tantum à communicatione & consensu partium oriri, qualem nempe aut sanguinis circuitus aut partium nervosarum spasmi, motusq; convulsivi facilè efficiant ? quò tunc evadet *tanta* Mearæ *confidentia ?* Itaq; de insigni illo apud medicastros quosdam ignorantiæ subterfugio, quo hi affectus, quorum causa genuina nescitur, vaporibus ascribuntur, infrà dicetur; interim, candide lector, eruditam *Mearæ* pathologiam, quàm appositè sc: palloris, rigoris, tremoris, horroris, & frigoris causas explicat, attentè considera; tantùm caveto ne rumpantur & Ilia risu.

Sextò Instat *Willisius* causas febrium intermittentium procatarcticas planè indicare, ipsas à temperie sanguinis immutatâ originem ducere, quippe morbus iste eâ potissimum tempestate & locis in-

increbreſcit, quibus ſanguis maximam ab aëre alterationem ſuſcipit, ſc: vere & autumno, & oris maritimis ; Ad hæc indignatur *Meara*, quòd *non eodem cenſu ponantur cibus & potus, motus & quies, excreta & retenta, animiq; pathemata* ; reverà inordinationes circa res iſtas nonnaturales ejuſmodi febrium ſæpiùs cauſæ evidentes quàm procatarcticæ exiſtunt ; dixerat *Williſius* in hunc morbum faciliùs incidere qui viſcera habent firma & robuſta, & qui calore vegeto abundant ; hæc ipſa *Williſii* verba ſunt, quæ tamen *Meara* ſuo more pervertit, eumq; audactèr pronuntiâſſe improbè fingit, *ſolos homines* εὐσπλαγχνὰς *viſceraq; firma & robuſta habentes febribus intermittentibus corripi*, tum quaſi hoc parum eſſet, proximis ferè verbis eundem *Williſium* citat, quaſi dicentem, *cruditates ob debilitatem coctionis in primis viis congeſtas, non febres interpolatas, ſed hydropem aut cachexiam parere* ;

parere; quæ verba, aut alia in hunc sensum apud *Willisium* non extant, quinimo quod ille dixit, prorsus aliud sonat. Sed est hoc *Mearæ* perquàm familiare & quasi insitum, authorum, quos redarguere satagit, verba corrumpere, iisq; sensum, qui tamen faciliùs oppugnari possit, alienum imponere. At vero postquam perfidiâ & dolo, quod potuit, effecit; seriò tandem *Willisio* regerit, *circa*
p. 121. *æquinoctia tum febres, tum alios morbos magis invadere, non solùm propter insigniorem aëris ambientis ac tempestatum mutationes, sed cum illis coincidere noxas ab erratis in victu.* Hæc responsio argumento Willisiano nondum satisfacit, neq; ejus *plenam demonstrationem* (uti ais) eludit. Observatione etenim vulgari constat, etiam illos qui ad exactissimas temperantiæ regulas, ac uti in proverbio est, medicè vivunt, nihilominùs circa ista tempora febribus intermittentibus obnoxios, in easq;

easq; invitâ omni circa victum cautelâ sæpenumerò incidere; Quin tu viro quantumvis sano, quoties tibi libitum fuerit, Catharsi ἄνω καὶ κάτω factâ primas vias elue, nequa in illis febrilis minera subsistat, hic tum postea si ad maritimam *Cantii* vell *Essexiæ* oram autumni tempore relegetur, ibidemq; vel dies aliquot tantùm diversetur, maximoperè ego fallor, aut febrem intermittentem contrahet, quam tu plurium mensium spatio haud curabis. Deniq; nisi aëris constitutio sanguinem immutans febris intermittentis causa præcipua fuerit, quæ ratio est, cur quartana (prout *Willisius* observavit) tantùm in Autumno & nunquam Vere incipiat.

Ad Argumenta *Willisii* à febris intermittentis curatione desumpta, nempe quod remediis empiricis sæpiùs ac certiùs quàm medicinæ methodo dogmaticè institutâ curari solent; Hoc unum regeris, eum argumentatione nihil pro-

probare, *nisi confecerit humores, in foco aut minerâ concluſos non iiſdem modis curari poſſe.* Certè hoc nobis impoſſibile videtur, quoniam iſthæc remedia febrifuga vel ejuſmodi ſunt, aut eo modo applicantur, ut illorum operatio aut ſolummodò, aut inprimis ad ſanguinem pertingat. Tu ſi noviſti quibus modis ea in mineras primis viis incluſas operantur, te hoc detegere oportuit, verùm citra iſtæc vaporum, Sympathiæ, Antipathiæ, Antiperiſtaſeos vocabula efficere non potes.

Sed novum hìc crimen *Williſio* objicitur; cujus nemo præter ipſum reus eſt, nam *præter ipſum quis in aliam cauſam rejiceret Ictе-*
p. 124. *rum, ſcorbutum, aut cachexiam quam in hepatis, lienis, meſenterii, Pancreatis, vel alterius viſceris affectum?* Benè eſt quòd viſcera terè omnia nominaſti, ut alicui ſaltem ex iis competat, quod aſſeruiſti, credo tamen quod nulli; *quis præter* Williſium? imò omnes quibus

quibus ſanguinis natura & affectiones innotuerunt, morborum iſtorum cauſas primarias in ſanguinem rejiciunt; nam priuſquam viſcera inferciuntur, neceſſe eſt ut ſanguis impurus & cacochymicus evadat, qui propterea fœculentias ſuas velut exuvias inter circulandum depoſitas viſceribus illis affigit, earumq; adeò meatus & poros inferciendo obſtructiones parit. Quod tu aſſeris *chylum cum nondum in ſanguinem abiit viſcera iſta tranſire, & pro diverſitate cacochymiæ in iis congeſtæ diverſas corruptelæ ideas ſubire*, id quidem à ſenſu & ratione prorſus alienum videtur; nam ut de Hepate nihil dicam, (cui certè cum chylo nihil commercii eſt) putáſne tu chylum ad Pancreas & lienem tranſire? quis hoc præter *Mearam* aſſerere auſus eſt?

Hæc in Parergo: contra Empiricas febrium intermittentium curationes objicit *Meara*, vel *paroxyſmos*

oxysmos non fugari, vel si fugentur;
p. 125. *morbum cum majori atrociâ propediem reverti, humoribus interim majorem visciditatem & malignitatem acquirentibus.* Hoc facilè pronuntiatur, sed quantum à vero distat, utriusq; medicinæ methodum expertos appello. Communis fama edocebit quamplurimos cujusq; sortis & temperamenti homines, hos mero epithemate, illos unico remedio febrifugo semel hausto curatos fuisse, ac sine ullâ recidivâ sanitatem integram recuperâsse; cùm alii interim longâ pharmaciâ delassati & viribus attriti, tandem non nisi mutatis cœlo soloq; vix ac ne vix morbum suum excutiant, quin & sæpe ad extremum redacti necesse habeant ad Empirica confugere.

Sed fortassis hoc nihil ad *Mearam*, quoniam ille & alii *prudentes Medici* curationem dogmaticam peculiari quodam ritu instituunt; nam *omissâ utplurimùm phlebotomiâ*

miâ, etiam emeticis catharticisq; non niſi parcè adhibitis in totius proviſione præcipuam collocant induſtriam, humores crudos coquendo, craſſos attenuando, lentos incidendo, acres attemperando, tenuiores ad mediocritatem reducendo, ſuperfluos expellendo, meatus per ecphracticа reſerando, viſcerum cacopragiam alterantibus corrigendo, reliquias ſudore diſſipando, (nec dum finitus *Oreſtes?* imò adhuc legio ſupereſt) *aliasq; id genus intentiones perſequendo.* Hæc verba incantamenti inſtar, chartulæ inſcripta, & amuleti vice, collo ſuſpenſa, febrium fortè inſultus abigent: veruntamen ſi tam longâ ſerie medicamentorum præſcriptâ, totidem intentionibus inſiſtatur, non aberit, *quin aptiſſimè in vos retorquebitur illud, ſc: quòd ægros miſerè excruciatis, morbumq; rarò profligatis: concedo vos prudentes medicos eſſe,* ſed in lucri veſtri rem; nempe ut prolixâ hâc, & inutili medendi me- p. 126.

thodo ægrotantium crumenas di-
utiùs emulgeatis ; nimirùm e-
gratiâ phlebotomiam, & emeti-
corum usum, contra quàm ali-
experientissimi medici rejicitis, n-
forsan curatio debito citiùs, &
cum minori pompâ peragi videa-
tur ; sed *totius provisionem*, & in-
tentionum therapeuticarum cate-
nam sesquipedalem, etiam plebi
Meara fruſtrà venditat : novi
enim populus, idq; apertè loqui-
tur, quin & ipse sibi conscius es
febres fœliciùs, & faciliùs curar
p. 127. *per empirica, quàm rationalia præ-*
sidia, quare *ut illud concederetur*
quod certè concedendum non es
(nimirum ille quòd negare non
potest, non concedit tamen) *quòm*
id fieri possit, si omninò fieri possit
(tam difficultèr calamoque, & ani-
mo quasi reluctantibus, veritatem
sibi extorqueri patitur) *materia*
morbifica non minùs in ramis vena
portæ, & arteriis comitibus, ve
visceribus ab illis irrigatis conclu-
sa, quàm in vasis majoribus stabu-
lant

lante &c. Hìc *vaſa* vel *viſcera*, prout alibì *arterias* vel *venas* dixit; nempe ut hoc artificio ſibi geminum conſciſcat ignorantiæ ſubterfugium; cùm certum ſit tamen in utroq; caſu, quod uni convenit, alteri haudquaquam convenire poſſe. Interim dum materiam morbificam in *ramis venæ portæ, arteriis & comitibus*, ſeorſim à *vaſis majoribus* concludi ſupponit; egregiè patet, eum circulationem ſanguinis aut prorſus negare, aut non intelligere.

Sed *Williſius* Tribunali iterum ſiſtendus, quod *remedia febrifuga ſanguinem, aut humores frigore, aut aſtrictione fingendo id præſtare aſſeruit*; quinetiam *Williſius* ex iis nonnulla ſanguinem præcipitare, alia ipſum fundere, & per diaphoreſin agere declaravit. Verùm hæc more tuo celas, ut juſtiorem increpandi Anſam nactus videaris: quod autem Tu confidentèr affirmas *febrifuga pleraq; vi diaphoreticâ materiam morbificam exhaurire*,

haurire, & corticis Kinæ-Kinæ facultatem potiùs diaphoreticam eſſe, eamq; levem ſudorem ſemper elicere; puto nemini, præterquàm Tibi compertum eſt; nec ipſe opinor remedium iſtud, quia nulli intentionum tuarum reſpondeat, cuiquam adhuc propinâſti.

p. 109. Hactenus de nonnullis *Williſii argumentis* ad pyretologiam ſuam ſtabiliendam adductis; quæ quidèm *Meara* magno impetu, ſed irrito prorſus conatu oppugnavit: jam proximè objectis à contrariâ parte urgeri ſolitis, *reſponſa* ejus (idq; pari cum ſucceſſu) aggreditur: Atq; imprimis arguit *Williſium* febrium intermittentium anomalias, quibus paroxyſmi irregularitèr contingentes morbi typum variant, aut perperàm aſſignâſſe, aut earum cauſas non rectè explicâſſe.

Cùm ille febres intermittentes ſimplices, vel duplices ſtatuerat; addit *Meara* triplices, eumq; increpat, quòd non has vidiſſet:

per

per febrem triplicem, quartanam intelligit, *cujus acceſſus non minùs quàm legitimæ quotidianæ, quotidiè repetunt.* Certè hoc *Williſius* ſatis adverterat, cùm dicit febrem intermittentem non rarò typum mutare, & è febre tertianâ fieri aut quotidianam, aut quartanam; dein aliquando ab utriſq; redire. Quam itaq; Tu quartanam triplicem, nos quotidianam ſimplicem, & quidèm rectiùs appellamus; nam paroxyſmi ita quotidiè repetentes, non ampliùs febris quartanæ typum ſervant; verùm ſine horrore, cum levi tantùm frigore, modico calore, & ſudore peragi ſolent; quicquid Tu in contrarium *de propriâ morbi Ideâ febres iſtas determinante*, effutis.

Inter febrium intermittentium anomalias, quæ tertiana duplex appellatur præcipua, ac maximè frequens eſt; nempe quùm paroxyſmi quotidiè evenientes reduplicantur, ut primus tertio, & ſecundus quarto reſpondent: hoc

Williſius aptiſſimè ſolvit computando periodorum ſpatia, non diebus, ſed horis; cùm enim hujuſmodi calculo, inordinationes in victu accedunt, ut prandio adhibito; paroxyſmus multò maturior, omiſſo tardior eveniat, non difficile erit conjicere, ob quam rationem paroxyſmi inæqualitèr contingentes ejuſmodi rythmum obſervant; quod tamen vix unquam ultra unam aut alteram vicem contingere ſolet: Hîc exclamat *Meara, O miſeros & cæcutientes Medicos dogmaticos, qui horariam* Williſii *computationem videre non poterant!* Credo alios eam videre, & agnoſcere, ſed nihil mirum eſt, ſi tu ad hæc planè cæcutias, qui ſanguinis circulationem, chyli tranſitum, hepatis uſum, & multa alia ad ſenſum demonſtranda, & apud omnes præter teipſum in confeſſo habita, nondum videre potes.

Cur autem tu *Williſium* duplicis quotidianæ Authorem aſſeris? pro-

profectò mihi librum ejus de febribus accuratè perlegenti, nihil tale occurrit: Hoc tuo more, nè consuetudinem perderes, excogitâsti; ut aliquid, si minùs invenias, saltèm ipse fingas, quod refellere videaris.

At verò febris intermittentis duplicis, typum quendam à *Willisio* prætermissum, observavit *Meara*, sc. *quæ unius diei spatio binos* p. 132. *accessus inducit, quos excipit integra sequentis apyrexia, in alium paroxysmum sub tertii diei initio desitura: cur non hoc in vivis spirantibusque exemplis observavit* Willisius? *Willisi* hæc verba [viva & spirantia exempla] toties opinor repetis, quia ferè hæc sola legisti, aut intelligis; nam si quis cætera ipsius scripta vel oscitantiùs inspexerit, utiq; deprehendet tamen, illum ejusmodi febrium typos observâsse, cùm de periodorum febrilium inæqualitatibus loquens expressis verbis asserit, *interdum bis in die paroxysmum replicari.* Verùm

Verùm hîc quis in Te non miretur plusquam *Claudianam* μετεωρίαν καὶ ἀβλεψίαν: Nam licèt *Willisium* inæquales paroxysmorum reduplicationes non observâsse dixeras; mox tamen (quasi oblitus tui) rationem quam Typis istiusmodi explicandis, solvendisq; attulit, proximis ferè verbis & repetis, & redarguendam suscipis. Dicit *Willisius* sanguinis massam nonnunquam plus materiæ congerere, quàm unico paroxysmo difflari queat, unde contingere, ut partem ejus tenuiorem in leviori paroxysmo priùs excutiat, crassiore ad sequentem paroxysmum re-
p. 134. servatâ: cui regeris, *hanc responsionem errata in victu supponere, quæ tamen ab omnibus febres intermittentes patientibus, non committantur.* Cæterùm istius effectûs causas alias, ac imprimis pharmaciam malè administratam innuit *Willisius*, quam Tu fortè conscientiâ, & pudore oppressus, nè Te acriùs mordeat, sicco pede præteris:

quod

quod verò ſpectat ad ejuſmodi inæquales paroxyſmorum reduplicationes, certum eſt eas non diu typum aliquem obſervare, ſed mox vagas, ac incertas evadere, utpote quæ in causâ aliquâ evidente, quæ immediatè præceſſit ut plurimùm radicantur. Ultimò *Williſium* redarguis, quòd aliquando in febrium intermittentium anomaliis ſuccum nervoſum in cauſæ partem aſciſcat, quod ſanè rectâ cum ratione ab eo factum eſt; cùm enim ſuccus iſte (prout ſupra oſtendimus) è nervis redundans, ſæpè magnâ copiâ intra glandulas & membranas, parteſque ſolidas congeratur, è quibus fluore orto, affatìm in ſanguinem venoſum regeritur, in eoq; efferveſcentiam concitat: nihil mirum eſt ſi propterea febris paroxyſmus interdum ordinarius intenditur, & non rarò extraordinarius excitatur.

Febrium intermittentium doctrina Mearana *examinatur.*

HUcusq; *Mearam* vidimus quà vi, quà dolo, sed frustrà conantem evertere Pyretologiam *Willisianam:* Tandem restat, & par est, ut propria ipsius doctrina examen subeat, & conspiciamus qualem sibi fabricam, & quibus rationum firmamentis constituit: hujusce autem qualis integra sit forma nondum constat. Congessit ille quidèm è veterum placitis rudera, quibus si quid ex suo addiderit, ita cohæret, ut ex rudi, atq; indigestâ mole, facilè eum perspicias nec satis intelligere quid veteres senserint, nec quid ipse velit, satis exprimere. Febris intermittentis causam materialem
p. 127. modò *tumores*, modò *humores* statuit; sedem ejus in *vasis venæ portæ* vel *visceribus ab iis irrigatis* collo-

collocat, morbi insultum à *materiæ morbificæ putredine* induci, atque symptomata pleraq; à *vaporibus è minerâ febrili elevatis* suscitari asserit. Hæc totius Hypotheseos summa est; Theoremata autem quàm consona veritati, aut rectæ rationi congrua sunt, posteà expendemus.

Quoad *Tumores*, eos febris intermittentis non esse causam materialem, sed tantùm producta, & effectus, ex ipso nomine, quo *Mearа* à plebe mutuatus, eos insignivit (sc. *Ague Cakes*) ita constat, ut nullus sit ex imâ vulgi fæce quin planè intelligat. Quis demùm febre laborans hepatis, lienis, aut mesenterii schirrho afficitur, quin meminerit se sub morbi initia illis affectibus immunem fuisse, eosdemq; febris diuturnæ fructum esse agnoverit? Nullum certè è vivis & spirantibus exemplis huic *Mearæ* sententiæ suffragabitur, sed neq; *bonorum Authorum monumentis* comprobatam licebit osten-

ostendere: etenim è Medicis tum priscis, tum neotericis, nemo quod sciam, præter *Mearam*, hoc uspiam asseruit.

Quod spectat ad humores, cùm duplices eos statuat *Meara*, sc. alimentarios in sanguine & excrementitios in primis viis stabulantes, non clarè exprimit, utros pro febris intermittentis causâ habuerit; quantum conjicere licet, inter utrosq; ambiguus hæret: Dum enim morbi sedem in *ramis venæ*
p. 127. *portæ*, & *arteriis comitibus*, vel in *visceribus ab iis irrigatis* statuit, & *sanguinem* in illis, & utriusq; *bilis*, & *pituitæ* recrementa in his concluſa, pro materiâ morbificâ innuere videtur, ita plurima ignorantiæ asyla simul constituit, ut si ab uno dejiciatur, ad quod se conferat, alterum supersit: Verùm quò omnibus simul refugiis, & castris exuatur, ostendere oportet materiam morbificam, quæ febrium intermittentium causa perhibetur, nec *in ramis venæ portæ*, *nec*

in

in arteriis comitibus, neq; in viſceribus ab iis irrigatis concludi.

Et primò quidèm, ſanguinem in ramis venæ portæ, & arteriis comitibus circulatione æquè celeri, ac in cæteris partibus, & fortè rapidiore decurrere, ex eo conſtat, quòd ſanguis arterioſus è ſiniſtro cordis ſinu in aortam propulſus, omnes ejus ramos æquali pernicitate trajicit; ſi quos autem aliis celeriùs pertranſeat, profectò ii erunt cordi propriores, quales ſunt arteriæ Cæliacæ, & Meſentericæ; tantùm abeſt ut hîc potiùs quàm alibi ſubſiſtere, & ſtagnare ſupponatur: Ex iſtis autem, in ramos venæ portæ tranſmiſſus è veſtigio verſus cor reducitur, in quo itinere hepar pertranſit, ut in eo bilis recrementa deponat: cùm itaque ſanguis in vaſis iſtis neutiquam moratur, quomodo ut *Mearæ* inſultum febrilem pariat, in iis velut in *foco concludi*, *ſtagnare*, *putreſcere*, ac demùm *accendi* poteſt?

Cùm

Cùm itaq; in vasis imi ventris nullus pro minerâ febrili locus relinquatur, videamus an illa in viscеribus ab iis irrigatis hospitetur; etenim in hâc regione humores excrementitios scatere vel *Willisius* concessit, sc. bilem flavam non tantùm in vesicâ felleâ, ac atram in liene, sed utramque istam, ac etiam pituitam in ventriculi, & intestinorum cavitatibus reperiri: Et certè spes aliqua de istis foret, posse ipsas pro materiâ morbificâ admitti, nisi quòd hoc *Meara* incautè nimis priùs denegâsset: Nam cùm supra asseruit chylo è primis viis nullum dari exitum, quo sanguini misceatur; pari opinor & meliori ratione humoribus illis aditum præcluderet, nisi fortè putandum sit vias alimento negatas, excrementis patere, & naturam sedulò cavisse, ne nutriatur sanguis, curâsse ut corrumpatur. At verò juxta illius Hypothesin *minera febrilis in foco suo putrescere, accendi*,

di, ac illinc demùm in ſanguinem vaſis majoribus contentum ebullire ſupponitur : quare cùm humores excrementitii in viſceribus concluſi illinc confertim in maſſam ſanguineam transferri nequeant, nemo, etiam *Mearâ* judice, eos orgaſmi febrilis reos dixerit. Sed & alio reſpectu humores iſti à noxæ febrilis culpâ immunes habentur ; quia ſc: ad putreſcendum, quod *Meara* neceſſarium materiæ morbificæ ſtatuit, minùs apti exiſtunt. Nam Bilem quod attinet tum flavam, tum atram (quæ ſc: febrium intermittentium cauſæ præcipuæ dicuntur) certum eſt eas, utpotè ſale, & ſulphure aduſtis copioſè refertas, tam longè à putrefactione abeſſe, ut corpora alia præſervare credantur, & plures inſignis notæ medici utramq; bilem pro fermento habuerint, quibus & ſanguis, & chylus, ipſaq; inteſtinorum excrementa à putredine vindicantur ; cui fidem facit, quòd cyſtis fellea animali quovis

exempta, & in ædibus suspensa (quod quidem Lanii ad vestes abstergendas, & plures alios usus sæpiùs faciunt) diutissimè incorrupta perstat; enimverò si vesica felle turgida, atq; externo aëri exposita, serò tantùm, ac tardè putrescat, humores sanè bilioſi multò minùs putredini erunt obnoxii, dum in corpore animato calore undiq; vitali foveantur.

Itaque ob hanc rationem non tantùm *Mearana* febrium intermittentium minera, sed & morbi causa conjuncta, peccantis sc. humoris putredo perperàm assignatur: Quamcunque igitur materiam morbificam, ac ubicunque in primis viis sitam statuit ille, necesse erit eam in foco suo aut otiari, quia non putrescit, aut saltem quia exire non potest, aut sanguini misceri, prorsus delitescere.

Verùm adhuc fulcrum restat, quo utcunq; nititur ruitura *Mearæ* Hypothesis, *Vapores* sc: Nam humores ipsi, seu Mineræ particulæ

læ craſſiores, licèt in foco recon-
ditæ locum non mutaverint, ab
ipſis tamen tetros, tenueſque, ac
veluti emiſſarios halitus elevari
ſtatuit, qui nec viſcerum late-
bus contenti, nec vaſorum tunicis
excluſi, omnia penetrant, atq; per-
vadunt, adeò ut ſanguini demùm
immiſti naturæ ordinem pertur-
bent, & febrium inſultus pariant.
Hæc ultima poſt naufragium ta-
bula, hæc ſacra anchora, hoc ul-
timum reſtat firmamentum, quod ſi
amoveatur, hinc ad Tubicines
mittatur.

Qui in morborum, atq; ſymp-
tomatum cauſis eruendis *vaporum*
efficaciæ tantum tribuunt, quo
doctrinam hanc ſuam incertam tu-
eantur, paſſim venditant tritum
illud *Hippocratis* teſtimonium, ſc.
totum corpus eſſe συμπνεῖν καὶ συῤῥεῖν.
Cujus in verba licèt jurare mini-
mè teneamur, id tamen ſano ſen-
ſu verum eſſe concedemus, nem-
pè caloris effluvia à ſanguine fla-
grante quaquaversùs emanantia,

partium omnium poros, & meatus pervadere, haud ſecùs ac in fornace deſtillatorio atomi calorifici ab igne decedentes, & ferrum, & ſaxa, vitri latera, & liquorem in eo contentum nullo cum negotio trajiciunt: verùm neq; iſta ignis effluvia è liquore intra matracium concluſo, quem ita facilè permeant, particulas mixturæ indolem ſpirantes ſecum auferunt, ac alio convehunt; neq; in corpore animato calor vitalis omnia penetrans, particulas ſulphureas, & ſalinas, aliaſve privatæ cujuſquam partis naturâ imbutas ſecum avehit: At verò caloris vitalis effluvia, ſi vaporum meteora per denſos obices ſecum transferre nequeant, multo minùs ejuſmodi particulæ aut putredine, aut alias ob cauſas in mineris ſuis reſolutæ ſibimet viam aut invenient, aut facient.

Enimverò ut vapores tetri à materiâ quâvis excrementitiâ ſuſcitati huc illuc ſine limitibus inde-

terminati

terminati convolent, non tantùm rationi incongruum, ſed & œconomiæ animali maximè injurium videtur. Cùm enim in ædificio extruendo ſummâ ſemper curâ providetur nè culinæ nidor cœnaculum, aut triclinium infeſtet; quid cogitari poteſt alienius à naturæ providentiâ, quàm ut in nobiliſſimâ hominis ſtructurâ halitus ſtercoracei omnia penetrantes cor, & cerebrum impunè feriant. Verùm argumentis ab experientiâ deſumptis *vapores* iſtiuſmodi facilè diſcutiuntur, & natura abſolvitur; e. g. in vivi ſectione, dum membranis vitali calore dilatatis, pori adhuc omnes apertiores exiſtunt, liquor fœtidiſſimus ventriculi, cujuſq; inteſtini, aut veſicæ urinariæ cavitatibus per tubulum infundatur, & ſtatim corporis continentis infra, & ſupra liquorem cavitati ligatura injiciatur, facilè conſtabit effluvia tantùm calida, & nullos omninò tetros putridoſq; halitus per

membranarum poros evaporare: quòd ſi non ſimplicem membranam materiæ putris cujuſquam vapores fœtidi trajiciunt; multo minùs è minerâ longè diſſitâ tales emiſſi plurium vaſorum tunicas, & partium ſolidarum obices permeantes ad cor aut cerebrum evadent.

Si objiciatur in aperiendis defunctorum cadaveribus, cùm fæces inteſtinales ſummè putrent, quamprimum peritonæum diſſecatur halitum fœtidiſſimum evaporare, unde colligitur eum inteſtinorum tunicas penetrare: referre licet quòd cum materia putris in receptaculo membranaceo diù incluſa lateribus ejus contigua eſt, ipſæ membranarum fibræ corpuſcula vaporoſa paulatim imbibunt, & demùm tota membrana ejuſdem cum contentis indolis facta ſimilem odorem expirat: attamen cùm mera effluvia membranam concavam, & aliquanto ſpatio remotam feriunt, poros

ejus

ejus minimè trajiciunt. Quòd autem ipsa cordis regio vaporibus è minerâ longinquâ immittendis satis immunis degat, hoc experimento conficiatur. Non ita pridèm pueruli biennis ab hydrope defuncti cadaver aperui; *Willisio* alioq; medico præsentibus; præter hepar, pulmones, aliaq; viscera plurimùm vitiata, deprehendi in dextrâ cordis auriculâ magnum abscessum pure flavo, & fœtido repletum, nondum verò disruptum: si vapores, à materiâ putri longè diffitâ elevati, cor afficere solent, cur non isti, à pure adeò juxta cordis Thalamos aggesto consiti, ei deliquia & lipothymias crebras intulere? cujusmodi affectibus æger iste in toto morbi decursu minimè obnoxius fuit.

Quod autem spectat ad consensus admirandos qui inter partes valdè remotas intercedunt, & per vapores fieri putantur, isti omninò, communicatione aut per sanguinem, aut per nervos factâ, per-

aguntur. A largiori vini potu ebrietas succedit, non quòd vapores (utì vulgò fertur) è stomacho in caput ascendunt; hoc enim impossibile est; sed spirituosæ vini particulæ à sanguine susceptæ, & cum eo circulatæ cerebro traduntur: si emplastra ex allio contuso pedum plantis applicentur, oris halitus Allium spirabit, verum istiusmodi odorem vapores totius corporis habitum penetrantes non producunt; sed corpuscula quædam ab allio decedentia sanguini miscentur, cumq; eo simul ad pulmones delati, unà cum fuliginosis sanguinis effluviis per expirationem emittuntur. Nec minus fatendus ille est, qui in diversis partibus à nervis oritur actionum passionumq; consensus: Perturbato aut malè affecto liene, sæpè cordis tremor, respiratio difficilis, quin & subita spirituum deliquia succedunt, quæ symptomata vaporibus passim ascribuntur; quorum tamen vera causa non aliundè petenda,

petenda, quàm ex eo quod nervi lieni implantati, à materiâ acri vellicantur, ac in ſpaſmum aguntur, & mox continuato propaginum nervoſarum ductu, eoſdem affectus nervis ad præcordia pertinentibus imprimunt. Poſtremò pleraq; ſymptomata, quæ ad affectiones tum hyſtericam, tum hypochondriacam ſpectant, nervorum communicationi potiùs quàm vaporibus tribuenda ſunt, prout *Williſius* in νευρολογίᾳ ſuâ clarè oſtendit.

CAP. IX.

Williſiana febrium therapeia contra Mearam *aſſeritur.*

TAnto animi impetu & planè febrili æſtu Pyretologiam Williſianam *Meara* aggreſſus eſt, ut meritò ipſi jam præfervido & tantùm non febricitanti ad Therapeiam

rapeiam magno licèt ſaltu feſtinandum ſit. Itaq; de *febrium continuarum cauſis* dicit Williſium *idem ferè cum pleriſq; aliis medicis ſentire*, quare iſtis omiſſis, *ad deſtinatum Hippocraticæ ætiologiæ penſum feſtinat* Meara. At pace tuâ dicam, Williſiana febrium etiam continuarum ætiologia, quatenus recentioribus inventis & ſanguinis circulationi accommodatur prorſus nova eſt; eaq; longè verior meliorq; quàm ſit iſta tua, aut Reverendi *patris tui Hippocratica* futura ſit.

Maximum *Williſii* paradoxum *gravioribus in praxi medicâ erroribus anſam præbens* dicit *Meara*, quod in *omni febris intermittentis principio phlebotomiam ex brachio ſuadeat, in progreſſu damnet.* Hic ne non ubiq; Tui ſimilis videreris *Williſium* falsò iterùm inſimulas, & lectoribus tuis imponis; caput & paginam, ubi hæc verba ocurrere aſſeris, citaſti, cum tamen ne verbũ illìc, quod tali opinione faveat, reperi-

reperiatur. In quotidianæ & quartanæ therapeiâ nullâ phlebotomiæ mentionem facit *Williſius*; In tertianâ quidem dicit vomitoria, venæ-ſectionem & purgationem magni uſûs eſſe, atq; hæc niſi ab initio ſtatim celebrentur, parùm prodeſſe, imò obeſſe ſæpiùs. Quod tu tam perfidè & inſidiosè quàm confidentèr aſſeris eum in *omni* febris intermittentis principio ſuadere. Sed *Williſium* ita ſcripſiſſe ſeu jure ſeu injuriâ fingendum eſt, quoniam ut *Mearæ* videtur *contrarium tum ratione tum experientiâ facile eſt aſtruere*: rationem ejus quia *ætiologiam Hippocraticam* valdè ſapit, ipſiſſimis authoris verbis audiamus. *Si enim ut communis medicorum fert opinio* à Williſio *nondum enervata, continens intermittentium cauſa in ramis venæ portæ & viſceribus ab illis irrigatis reſideat, nec illi rami ullibi ad cutem niſi circa anum erumpant, fruſtrà materiæ peccantis eductio per ſectam in brachio venam* p. 138.

expecta-

expectatur : sed nec sine damno fieri potest cum inde non leve immineat periculum metastaseos febris intermittentis in continuam, exinanita enim per sectam brachii venam vasa majora, sanguinem impurum ex ramis venæ portæ sugunt, febrem continuam accensurum, ut observat Expertissimus Platerus. Quâ in re *Expertissimus Platerus* tibi multùm imposuit, cui tamen condonabimus tam gravem errorem, quòd circulatio sanguinis illius sæculo tam inaudita fuerat quàm est hodie ignota tibi; datâ enim sanguinis circulatione, lubentèr ex te scirem quare mineram febrium in venâ portâ potiùs quàm in aliis venis residere statuas; putas tu fortè sanguinem in portâ magis sordidum & impurum quam reliquam ejus massam, quia vena ista in anum terminata, etiam partibus viliori usui destinatis inserviat, quæq; à reliquis partibus corporis æquè differunt, ac culinæ, & cloacæ à parte domûs magis or-

ornatâ ; ideóq; times ne impurus ſanguis per venæ-ſectionem in brachio trahatur ex portâ, & miſceatur puriori maſſæ, eamq; fæculentiis ſuis inquinet, non alitèr quàm ſi coquus aut viliores famuli à culinâ vel ſterquilinio in triclinium protracti, dominas & nitidum fœminarum chorum nidore ſuo inficerent, fœtidiſq; odoribus omnia implerent ſed ut ſeriò agam, quid tu unquam ſani in pyretologiâ proferre potes qui ſuppoſito falſiſſimo innitens, nobiliſſimi remedii in febris medendæ methodo uſum pervertis? Celeberrimi quiq; medici tum antiqui tum recentiores phlebotomiam, quoties in febre intermittente indicatur, ab initio celebrant; libet hîc *Galeni* (quem inſtar omnium habes) teſtimonium allegare. Ad *Glaucon.* lib. 1. c. 10. de febris tertianæ curâ loquens, *quod ſi ſanguinem mittere oporteat, neq; hoc omittendum ſed ab initio ſtatim faciendum eſt*, ait: & tamen è contra

traOrmonienſis medicus *experientiam adducit nempe in diuturnarum*
p. 139. *febrium intermittentium progreſſu nihil ſanguinis miſſione ſalutarius eſſe, quod ille in multis aliis tum præſertim in filio primigenito Illuſtriſſimi Domini* Arundelii *ſacri Imperii Comitis & Baronis de* Wardour *expertus eſt, quem ſanguine bis detracto à quartanâ liberavit, quæ biennii ferè ſpatio clariſſimorum medicorum operam eluſerat.* Ut concedam tibi (qui plurima falſa protuliſti) hiſtoriam iſtam veram eſſe, quis credet tamen diuturnam quartanam unico phlebotomiæ remedio curatam fuiſſe? id quod nemo præter te unquam medicus ſe præſtitiſſe ſcripſit, aut, opinor, credidit: Verùm hoc tibi & Patienti fortunâ meliori quàm praxi contigit, ut morbus aliam ob cauſam, cœli fortè aut anni mutationem, ultrò deſierit; nec ſanguine intempeſtivè detracto Juvenis febrem hydrope aut cachexiâ mutaverit; certo enim

certius

certius est hujusmodi affectus & non rarò mortem ipsam, febricitantium phlebotomiæ nimis seræ frequenter succedere.

Ut *Willisio* in omnibus adversetur *Meara*, uti phlebotomiam, ita & *purgationem non nisi in febrium intermittentium progressu* admittit. An timet ille nè hoc etiam remedio humores è ramis venæ portæ in vasa majora rapiantur? Verùm è contra cùm rami isti ad anum pertingant, cur non ex eâ parte quàm citissimè materia morbifica purgatione educetur? Sed veretur ille, si catharsis opportuna sub febris initia celebretur, nè totius provisione nondum satis peractâ morbus extinguatur, priusquam longa illa intentionum series à carcere ad metam percurratur.

Verùm enimverò quicquid dici poterit pro *Willisianâ* febrium intermitrentium curatione, certum est *Mearæ*, eum in continuarum therapeiâ gravissimos errores commisisse; nempe quòd febricitantes

tantes quoſdam aliâ methodo quàm *Ormonienſi* uſitatum eſt, ſanaret; nec dubitaret *in febre continuâ vomitorium propinare, etiam quarto die ad infuſionis croci metallorum unciam, aut drachmas decem aſcendere.* Si tu in febribus continuis nunquam auſus es Emetica propinare, multùm metuo nè manſuetudo hæc tua & miſerecordia ægris in miſeriam verterit; præſertim ſi à crapulâ aut à ſtomacho chyli corrupti putrilagine referto febris inceperit; quo in caſu niſi vomitorio adhibito fomes detrahatur, fruſtra pro reſtinguendo febrili incendio, opera impendetur. Sed arguitur *Williſius* quòd febris die quarto vomitorii Antimonialis tam magnam doſin exhibuerit; Quartum diem quod attinet, Emeticum non priùs propinatum arbitror, quia tum primùm ad ægrotantem accerſebatur; cùm autem ejuſmodi medicina etiamnum requiri videretur, nihilq; contraindicans occurreret,

an

an ægrotantem in manifeſtum vitæ diſcrimen adduci ſineret, potius quàm *Hippocratis* præcepta tranſgrederetur? Quod ſpectat ad Pharmaci naturam & doſin quicquid tu in Chymicis minimè verſatus reclames, benè notum eſt, Antimonium cum nitro calcinatum, ita benignum reddi poſſe, ut infuſio ejus ſupra unciam unam aut decem drachmas propinata, ſatis blandè & tutò, & quidem medicamento quovis *Galenico* longè efficaciùs operetur. Nam quod tu à Mannâ, Caſſiâ, Diacatholico melius præſtari poſſe aſſeris, quid iſthæc ad ſuccos acres in ſtomacho fluctuantes? utpote quos leviter fortè exagitant, minimè educunt. Sed cur tu *Williſium* die quarto *ad infuſionis croci metallorum unciam unam aut decem drachmas aſcendiſſe* affirmas? In hiſtoriâ allegatâ refert ille ſolummodo *unciam unam* exhibitam fuiſſe, cur tu addis aut *decem drachmas?* Tibi adeò *Cre-*

tenuè ingenium est ut nihil transcribere aut recitare queas nisi aliquid addideris de tuo.

Quòd tu de *Hippocraticæ* materiæ *febrilis orgasmo* differens, eum subtiliter admodum à ventriculi nauseâ & oppressione distinguis:

p. 143. quos affectus *à phlegmone ejus, vel à bile viscidâ tunicis ejus impactâ plerunq; provenire* ais, ideoq; ante *pepasmum purgari* vetas, Hoc inquam sine ratione aut authoritate merum tui ipsius cerebri commentum est.

In aliâ ægrotantis historiâ incusatur *Willisius*, quòd *nulla topica hypochondriis applicuerit*, imò addit *Meara topicorum nulla in historiis* Willisianis *extare vestigia, quæ tamen ad viscerum contempe-*

p. 146. *rationem & incendii in ipso foco extinctionem à sanioribus Medicis unicè laudantur, quanquam illa tanquam quisquilias in* Angliâ *pleriq; Medici vel negligunt vel rident.* Miror qui sunt isti sanio-
res Medici, à quibus topica pro
incendii

incendii febrilis in ipso foco extinctionem unicè laudantur. Certè in *bonorum Authorum monumentis* hujusmodi præceptum nullibi occurrit: Porro qui febrem in sanguine fundari, ipsumq; sanguinem circulari agnoscunt, praxin istam non nisi rarò necessariam ducunt: Tibi autem perpetuò concedatur, sed tanto cum fructu quantâ cum veritate asseris *incendii febrilis focum circa ramos venæ portæ delitescere.* In febrium quidèm progressu, quum sanguis impurior, nec crisi satis defœcatus, fœculentias suas visceribus affigat, in iisq; dyscrasias & obstructiones pariat, regioni ipsorum fotus applicari expediat; quam & *Willisii* methodum fuisse è scriptis ejus liquidò patet, qui in casu illustris fœminæ febricitantis, cui tandem regio ventriculi & sinistri hypochondrii intumescebat, fotum iis adhibendum instituit, ex foliis Absynthii Pontici, Centaurii, Abrotani cum radicibus Gentianæ

vino rubro in vaſe cooperto ineoctis, *lib. de febr. cap. 5. de febr. intermitt. quotid.* Tu interim ſicut tuus eſt mos, falsò aſſeruiſti *topicorum nulla in hiſtoriis* Williſianis *extare veſtigia.*

Quibus vana & fluxa eſt fides, cùm ex ſeipſis omnes æſtiment, aliis licèt veracioribus non facilè fidem adhibent. Hinc quod *Williſius* tanquam factum narrat, de eo *Meara* dubitat, & omninò aliter fieri debuiſſe contendit. Dicitur Matrona quinquagenaria die morbi octavo per ſudorem perfectè judicatam fuiſſe. Regerit hîc *juxta* Hippocratis *&* Galeni *experimenta diem octavum perrarò eſſe judicem.* Si tu iſtorum Criſiologiam ad noſtras regiones & incolas tranſtuleris, aut ego fallor aut tibi Pſeudoprophetæ & judiciariis iſtis tuis regulis Veſpillones multùm debituri ſunt. Sed ulteriùs objicis *in iſtius Matronæ*
p. 149. *morbo concoctionis ſigna non ante octavum diem apparuiſſe, ergo criſin*

ſin ſalutarem non niſi ante undecimum contingere potuiſſe : Næ temeraria & importuna fuit iſta mulier, quæ feſtinatâ nimis & præcoci convaleſcentiâ *Mearæ* Canonem violavit. Undenam verò tibi conſtat in Matronâ illâ concoctionis ſigna non ante diem octavum apparuiſſe ? Ex *Williſii* hiſtoriâ probabile eſt pepaſmum à ſexto incepiſſe, quoniam iſto die ſudoris eruptio & caloris ſedatio quædam contingebant, an fortè exinde colligis nulla concoctionis ſigna priùs extitiſſe, quòd octavo innuit urinæ hypoſtaſin conſpicuam fuiſſe ?

Verùm enimverò ut paulò liberiùs, quod ſentio de *Criſibus* loquar ; licèt fatendum ſit febrium ſolutiones per evacuationes criticas interdum contingere, hoc tamen in his regionibus non ſemper nec eodem prorsùs modo, quem *Hippocrates* & *Galenus* deſcripſerunt, fieri contendimus ; præſertim cùm ſub frigidiori hoc cœlo

& crebris mutationibus obnoxio, sanguis non ita æquabilitèr accendatur, nec adeò constanti tenore deflagrationis suæ periodos conficiat: Tum præterea nostro sæculo ipse sanguis in plerisq; labe Scorbuticâ infectus, cùm à febre efferveſcat, materiam morbificam non ita facilè coquit, & secernit, ut eam stato tempore simul & semel exterminet. Quare observare est in quibusdam febribus, crisin omninò nullam succedere; & sæpenumerò in aliis, criseos loco materiam febrilem in caput translatam malas cerebri & nervosi generis affectiones inducere, prout *Willisius* annotavit: Quapropter ægrotantes nostri fortuito criseos eventui non sunt relinquendi, quin Medicus remediis tempestivè adhibitis Naturæ impedimenta tollat, eandem labascentem suffulciat, atque segnem nimis ad conflictum cum morbo citiùs ineundum irritet. Porrò cùm apud nos victu pleniore crassioreq;, & minore

re transpiratione, quàm in *Græciâ* aut *Italiâ*, ingens materiæ putridæ saburra plerunq; in primis viis congeratur, cumq; non leve sit periculum in febris ἀκμῇ nè cerebrum & nervosum genus malè afficiantur, idcircò Emeticorum usus, quicquid tu reclamas, valdè necessarius habetur, idq; alii experientissimi Medici quotidianâ praxi suâ comprobatum reddunt.

Verùm hîc liquet redargutiones tuas ad fundum, & usq; ad ipsas fæces exhauriri, quare cùm rationes desunt, opprobria tantum & indignissimas contumelias cumulas; quinimò intra ultimos lædendi conatus (nè in posterum credamus venenata animalia in *Hibernià* non nasci) totum evomis virus, ipso Aspidum veneno venenosum magis; ut appareat te non *Willisii* hypotheses evertere, sed famam maledictis proscindere, imò ipsum hominem jugulare velle: Indiciis satis apertis prodidisti, quàm sis malevoli & exitialis

animi, ad mortes & neces intentandas paratiſſimi; abſit ut *Williſio* aut mihi, aut cuipiam, cui non intimè faves, pharmacum propines: Nam qui ita calamum veneno armare ſolet, neſcio annon idem medicamentis ſuis immiſceret.

DIſcuſſo ad hunc modum *Examine Mearano*, & à convitiis (quæ in illo ſola occurrunt argumenta) *Williſio* utcunq; vindicato, tandem operi meo & Lectoris tædio ſupremam manum impoſueram: Sed quem non pauliſper ſiſtant & morentur *Rariores aliquot Hiſtoriæ*, quas adjecit nè Liber ad juſtum volumen, aut, quod tantundem eſt, convitiorum cumulus ad integrum plauſtrum non excreſceret? Nam Authoris nomen ut ſibi quoquo modo acquireret, totum ſimul penum exhauſit, & nullius famæ aut nomini pepercit, ſed corra-

ſis

ſis undiq; Adverſariis, & piperi olim meritò damnandis chartulis, Symmyſtis tot opprobria, morborum tam abſurdam ætiologiam excogitavit, ut neſciam medicos an ægrotantes magis improbè tractaverit. Et quidem primò ſtatueram omnes haſce *hiſtorias* ſeriatim evolvere, rationes ejus quantum à vero diſtant, oſtendere; & deniq; ſingulorum phænomenωv genuinas ſolutiones ſubſtituere. Sed ab hoc penſo, non ſolùm operis tædio ſed & ſuſpectâ narrationum fide facilè deterritus ſum, nam qui aliorum ſcripta (quod ſupra ſatis patuit) tantâ perfidiâ atq; injuriâ corrupit, quis eum credat in ſuis religioſiùs acturum? Itaq; ut Leonem hunc Candidus Lector ex dente aut ungue æſtimet, pauca tantùm delibabimus. Verùm ut præteream, quod pudet referre, quibus ille artibus *D. D. Martyn* concivem ſuum apud plebem minuere & infamare nititur? neq; enim ſatis habuit,

habuit, caſu invidioſiùs conſcripto, Generi ſui necem Doctori aſcribere, ſed quo latiùs conficta rei atrocia in vulgus ſerperet, hiſtoriam hanc unicam Vernaculo ſermone edidit, & inſtar Hybridis Anglolatini non unâ linguâ oblatrando, contumeliis utramq; polluit; eâ potiſſimùm de causâ, ut proximo & homotechno perfidè oppreſſo, ſeipſum infimo civium ordini commendaret, & imperitum iſtum gregem in praxeos ſuæ retia ſecuriùs allectaret.

Hoc interim minimè ferendum eſt, ut Doctiſſimum Virum *D.D. Bidgood* de medicinâ & re literariâ optimè meritum tam ſceleratè & indignè tractaverit aut ejus famæ tam licentèr inſidietur. Præterquam enim quod Clariſſimi illius Viri diarium in privatos uſus conſcriptum, tranſcriptum autem ad votum Inſigniſſimi Domini *Franciſci Poulet* à Pharmacopæo Exonienſi, *Meara* inconſulto Authore contra leges humanitatis & bono-

bonorum omnium consuetudinem, & publici juris fecerit, & libro suo inseruerit; Commentarios insuper perquam iniquos addidit, quibus Eruditissimi Authoris sensa pervertere, & in proprium sui ipsius scopum flectere conatus est. At verò hisce Technis dolisq; quantulum est quod lucratur? In Casu Nobilissimi Adolescentuli filii Baronis de *Hinton* Ægrotantis prognosticum temerarium protulerat *Meara*, Eum nempe *Ventriculi phlegmone & sphacelo correptum*, brevi morbo fatoq; concessurum. Opinionem hanc puero paulò se meliùs habente, quàm temerè susceperat, tam facilè mutare, de ægro bona omnia sperare & dicere, at verò symptomatis denuò iterum invalescentibus, ne jam errâsse, aut antea non rectè sensisse videretur, priorem sententiam pari levitate & majori confidentiâ resumere, rem prout ipse prius dixerat, ita se habere, id sibi ex triginta annorum

norum experientiâ compertissimum esse, deniq; post obitum pueruli prognosin suam apertiùs jactitare, historiam morbi à *D. D. Bidgood* exaratam inscio Authore edere, & reclamante verborum sensu ita in rem suam interpretari, ut de naturâ morbi se rectiùs quàm reliquos medicos sensisse publicè innotesceret, quàm solidè autem & nervosè hoc egit periti omnes judicent. *In Principio morbi ipse abscessum non sine causâ*, ut ait, *suspicatus est.* p. 236. postea ex observatis Anatomicis collegit, *abscessum non ampliùs probabilem sed planè demonstrabilem.* Partes affectas (licèt in theoriâ morbi pateat illum de *solius ventriculi phlegmone & sphacelo* cogitâsse) nunc *vel* ventriculum, *vel* aliud quoddam viscus ventriculo vicinum cautè & sapientèr admodùm pronuntiat p. 231; quod certè monosyllabon ipsius inscitiæ in dubiis casibus ubiq; optimè inservit). Has partes speciatim innuens,

ens, nunc dicit fuisse *omentum & meſenterium, eaq; abſceſſu* p. 236. (& paulò inferiùs) p. 237. *ſphacelo laborâſſe*; Adeò ſe vertit in omnes partes ut diagnoſticon ſuum ab erroris culpâ & ſuſpicione expediat. Obſervata Anatomica è quibus hæc colligit fuêre primo *ecchymata circa muſculos tranſverſos peritonæum nigricans & putridum, Omentum ſicut & meſenterium extenuatum & omni pinguedine ſpoliatum, & Hepar in parte concavâ lividum.* An quia omentum & meſenterium extenuata, omnì adipe ſpoliabantur, infers eadem abſceſſu ac ſphacelo correpta fuiſſe? ergò in omni tabe & diuturnâ quâvis ægritudine lethali, viſcera iſta his affectibus laborabunt; Nam ejuſmodi defunctorum anatomiæ omentum & meſenterium extenuata ſemper omniq; adipe ſpoliata exhibent; quod certè evenit, quia partium iſtarum, prout cœterarum, pinguedo (cui molem ſuam præcipuè

puè debent) à diuturno cujusvis morbi calore colliquatur, & absumitur. Porrò viscera ista absessu affecta, tumida potiùs quàm extenuata apparuissent, & materia purulenta aut nido adhuc inclusa, aut inter intestina fluctuans conspicua fuisset; prout in veris istarum partium abscessibus non rarò vidimus. Sed materiam istam purulentam dicit *Meara ex mesenterio & omento ad intestina transisse, & à diuturno ejus fluxu illorum tunicas abrasas fuisse.* p. 238. Verùm si id demus in hoc casu potuisse contingere (quod tamen perrarò, si unquam, accidit) Nihilominus ubicunq; abscessus disruptus fuit & evacuatus, ibi aut cystis aut cavitas relicta, ejus indicia quædam in defuncto certissimè proderent; cum itaq; nulla ejusmodi signorum mentio à Clarissimo Doctore facta sit, sed tantum *mesenterium & omentum extenuata esse, & omni pinguedine spoliata.* Miror quâ ratione infers

infers Tu illa abſceſſu correpta fuiſſe. Prætereà ſi abſceſſus per inteſtinorum tunicas & membranas in eorum cavitates penetrans fluxum iſtum concitâſſet, magis adhuc mirandum eſt: materiam iſtam purulentam diuturno ſuo in inteſtina decubitu ea non aliquatenus corrupiſſe, aut ſaltem contaminâſſe, cujus tamen nullum veſtigium in diſſecto cadavere ipſe libentèr agnoſcis, imò ventriculum & inteſtina incorrupta & putredinis expertia fuiſſe ultrò contendis p. 238. Cur autem partes iſtas ſphacelo laborâſſe vis? In obſervatis Anatomicis nulla fit mentio de omento aut meſenterio livore vel nigredine affectis, aut quoquo modo diſcoloratis; quæ itaq; in iſtis ſunt ſphaceli ſigna oſtenſiva? aut unde Te *tam rectè collegiſſe arbitraris luculenta corruptelæ & ſphaceli veſtigia in meſenterio & omento apparuiſſe, hinc ad peritonæum & abdominis muſculos, inde ad cava hepatis ſerpſiſſe.* Primo p. 228.

mo enim quî nôsti tu *sphacelum in omento & mesenterio prius extitisse*, cum in defuncto ibidem nulla ejus vestigia remanserint? tum si affectus iste locum mutaverit, cur non potiùs simul cum materiâ purulentâ ad intestina, quàm ad partes remotiores serpserat? sed credo te de *abcessu* & *sphacelo* somniâsse tantùm, nam illa dissecti cadaveris Phænomena nullum ejusmodi affectuum in quopiam viscere aut parte fuisse planè testantur. Quod autem spectat ad *Ecchymata in musculis transversis, peritonæum nigricans, hepar in parte concavâ lividum*, si quicquam in Anatomicis exercitiis versatus fueras, tibi facilè constaret, effectus istos ab aliâ causâ quàm à sphacelo aut abscessu provenire: cystis felleæ exudationes, siquidem copiosæ fuerint, ut intestini coli ac ilei corpora alba flavedine tingunt, ita partes hepatis contiguas ex rubris in lividas mutant; quin & hanc rationem Doctissimus Vir *D. D. Bidgood*

Bidgood ſatis clarè innuit, cum in eâdem obſervatione conjunxerit *hepar in parte concavâ lividum, & veſiculam fellis quantitate quam par eſt tumidiorem.* Porrò quoad *ecchymata muſculorum & nigredinem peritonæi*, ſi diſſectionibus corporum, quorum abdomini, dum viverent, fotus, cataplaſmata & calidiora epithemata applicabantur crebrò interfuiſſes, ejuſmodi partium ſugillationes abſq; ſphaceli ſuſpicione paſſim videre poteras. Quid tamen his immoror, cùm *Mearæ* ſolenne ſit, atq; forſan per triginta annos ita aſſueverat, affectuum ferè quorumcunq; abditorum cauſas ad *ventriculi phlegmonem & ſphacelum* referre; ita namq; in febribus *p.* 143. & in hiſtoriis medicis, quoties levis aliqua nauſea & ventriculi oppreſſio adfuerit, paſſim loqui amat; idq; non minùs præfidentèr, quàm ſi ipſorum viſcerum penetralia introſpexerat; dein ſymptomata omnia per

vapores ab hujuſmodi abſceſſu ad cor, cerebrum, & plexum choroëidem, aliaſq; partes elevatos, nullo cum negotio ſolvit; Et deniq; juxta hanc hypotheſin, à verâ longiſſimè recedentem, pro ægrotantibus medendi methodum inſtituit. Hujuſmodi in omnibus hiſtoriis iſtis pathologiam in examen revocare non operæ-pretium duxi, quin diutiùs expectare liceat, donec altera ejus de febribus *Hippocratica ætiologia* in lucem prodeat.

FINIS.

Errata.

PAg. 2. l. 4. l. *praxi.* p. 81. l. 1. l. *febris.* p. 13. l. 19. l. *prævertitur.* p. 19. l. 12. l. *experimentalis.* p. 26. l. 18. l. *ni.* p. 33. l. 5. l. *incubatu.* l. 20. l. *tam.* p. 41. l. 3. l. *animadversionibus vindicantur.* p. 49. l. 12. *pro vel* l. *&.* p. 55. l. 9. & 10. l. 7 *aut* 8 *horas.* p. 65 l. ult. l *corpori.* p. 67. l. 25. l. *lymphæductus.* p. 73. l. 7. l. *scilicet.* p. 79. l. 13 l. *eliciuntur.* p. 82. l. 25. l. *ductu cholidocho diutiùs obstructo.* p. 83. l. 6. l. *cysti felleæ & intestinis.* p. 90. l. penul. l. *αἱματολογίαν.* p. 91. l. 12 l. *revocando.* p. 92. l. penult. l. *αἱματάσεως* p. 92. l. 14 l. *acrem.* p. 94. l. 6. l. *cordis ingressum.* p. 118. l. ult. l. *colore.* p. 127. l. 14. l. *perget.* p. 143. l. 8. l. *vel.* p. 151. l. 25. l. *ita reduplicantur.* l. ult. l. *respondeant.* p. 164. l. 3. l. *destillatoriâ.* p. 179. l. 2 l. *extinctione* p. 180. l. 1. l. *albo.* p. 192. l. 12. l. *affectum.*